ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiæ

Calendis Novembris, Anno M DCLXXXIII.

ΑΡΠΟΚΡΑΤΙΩΝΟΣ ΛΕΞΙΚΟΝ ΤΩΝ ΔΕΚΑ ΡΗΤΟΡΩΝ,

HARPOCRATIONIS LEXICON DECEM ORATORUM, cum latina versione & Philippi Jacobi Maussaci ac Henrici Valesii Notis editum a Nicolao Blancardo.

Lugduni Batavorum 1683. in 4. apud J. a Gelder, & J. A. de la Font.

Valerius Harpocration Rhetor, Alexandrinus inter alia monumenta ingenii studiique, quæ injuria temporum interciderunt, *Lexicon* posteritati reliqvit: collectis in unum e decem præstantissimis Græciæ oratoribus, Antiphonte, Andocide, Lysia, Isocrate, Isæo, Æschine, Lycurgo, Demosthene, Hyperide & Dinarcho, præcipuis eorum loquendi generibus; ubi simul supremorum Atticæ magistratuum monumenta, ritus & leges exposuit, deque jure Atheniensium & Lacedæmoniorum civili ac sacro, de variis item totius Atticæ locis, gentium moribus institutisque, & nominibus virorum propriis, in quorum manibus diu rerum Atticarum administratio fuit, quæ alibi non reperiuntur attulit. Insigne hoc Græcæ eruditionis monumentum primus Venetiis sub initium superioris seculi luce donavit Aldus Manutius, idemque post elapsos, a prima editione, tres & viginti annos, cum Asulano eam iteravit: nec repertus est intra integrum quasi seculum quisquam, qui mendis, trajectionibus & lacunis, quibus utraque Aldina laborabat editio, auctorem liberaret, donec eruditissimus juvenis Philippus Jacobus Maussacus gemino codice, altero

manuſcripto, altero excuſo quem Pithœus variis lectionibus e Vaticano (ubi & ipſe codices excuſos contulit, ut e Diſſert. Critica p. 379 apparet) petitis inſigniverat, adjutus, ingenio autem feliciſſimo & ſtudio inexhauſto fretus, medelam corrupto inque plurimis mendis cubanti operi tulit, ſanumque ac integrum textum conſtituit, emendationis & reſtitutionis omiſſorum, corruptorum, disjectorumve locorum rationem in Notis reddens; & ſic adornatum Lexicon hoc Pariſiis anno 1614 in publicum emiſit, adjecta *Diſſertatione critica* perquam erudita, in qua de auctore hujus Dictionarii, & de vera antiquis uſitata conſcribendorum Lexicorum ratione, primis eorum auctoribus & generibus, quid ea a Gloſſis differant, de Oratorum lexicis & eorum collectoribus, cumprimis vero hoc Harpocrationis opere: porro de Grammatica ejusque variis diviſionibus & nobiliſſima parte Critice copioſe & eleganter disquirit: variorum auctorum, Tertulliani, Demoſthenis, Capitolini aliorumque loca illuſtrat, Scriptores quosdam recentiores notat, & de Etymologico magno, Heſychii item, Suidæ & Varini Phavorini Lexicis lectorem inſtruit. *Notæ* in emendatione ipſius Harpocrationis & ejus æque ac aliorum veterum Scriptorum illuſtratione, depravatorumque locorum reſtitutione occupantur: ad quas anno ſeqventi 1615 *appendicem* attexuit, & Salmaſio dedicatam Notis ad Plutarchi de fluviorum & montium nominibus, ac Pſelli de lapidum virtutibus libellos Toloſæ excuſos ſubjecit. Quam ipſis Notis textui ſubſtratis inſeruit, latinamque interpretationem quam ipſe primus adornaverat, eidem adpoſuit, Indicesque adjecit, qui Harpocrationem denuo edidit Nicolaus Blancardus: ſeorſim in poſtremam operis partem ſeponens doctiſſimas *Henr. Valeſii* ad Harpocrationem & notas Mauſſaci *annotationes*; quas a doctiſſimo Jacobo Gronovio ex Bibliotheca Guilielmi Prouſteau ſuperiori anno editas in Actis ſextilibus iſtius anni p. 250, 251 enarravimus.

LA GNOMONIQUE, OU L'ART DE TRAcer des Cadrans ou Horloges ſolaires, &c.

Hoc eſt,

Gnomonica, ſive ars ſuper quacunque ſuperficie diverſis praxibus deſcribendi ſciaterica:

Au-

Autore Domino de la Hire, Regiæ ſcientiarum Academiæ.

Pariſiis 1683. in 12. apud Stephanum Michalet.

QVæ pro varia planorum ſuorum ad planum Horizontis inclinatione varie, ſed prono in errorem notabilem lapſu, conſtruuntur Sciaterica, ea Clariſſimus Autor, nullo declinationis habito reſpectu, ſuccincto hoc Tractatu indifferenter univerſaliterque deſcribere docet.

Partes operi duas, duo linearum, ex quibus Horologia hæc conſtant, genera fundamentalium & horariarum faciunt: quarum utraque Problemata ſua ex diverſis datis diverſimode deducit, adjunctaque ubivis demonſtratione praxin ipſam firmat.

Prima pars exordium ſumit a Definitionibus circulorum Sphæræ, qui conſtructioni Horologiorum inſerviunt: poſt partibus Sciaterici breviſſime deſcriptis, modos exhibet ducendi lineas, horizontalem, ſubſtylarem, æquinoctialem, meridianam; centrum item Sciaterici, axem, punctaque ſex horarum ſuper linea æquinoctiali & horizontali, ponendi aut determinandi.

At cum omnes hæ operationes, ab umbræ puncto, quod ſtyli ſuper plano Sciaterici erecti extremitas ſive apex deſignat, tanquam a primo principio procedant; idem vero hoc punctum exacte definire ob penumbræ fallaciam res plane ſit ardua: difficultati huic tollendæ duplex commendat remedium. Horum primum ſimpliciusque eſt, ut applicato extremitati ſtyli centro laminæ rotundæ, plano Sciaterici parallelæ, centrum umbræ a lamina fuſæ pro exacto umbræ puncto accipiatur.

Quo porro cum delectu modi ſupra memorati adhibendi, Autor Lectorem a limine Partis ſecundæ inſtruit: in qua deinceps circa lineas horarias, Aſtronomicas, Italicas & Babylonicas, arcusque ſignorum Zodiacalium ducendos, & Horologium reflexum delineandum occupatur. Deſinit tandem in tradendo uſu Tabularum binarum adjectarum, quarum prima declinationes ſolis ad ſingulos annorum 1681, 82, 83 & 84 dies; altera latitudinem Urbium celebriorum & longitudinis a Pariſina differentiam exhibet.

Subnectitur opuſculo brevis recenſus operis abſoluti de ſectionibus Conicis, typorum operas jam fatigantis: in quo Autor præter ea,

quæ hinc usque circa hoc argumentum ab aliis detecta sunt, nova sua plurima, quorum gustum publico subinde dederit, peculiari præcipuarum demonstrationum methodo, cujus specimen ab anno 1675 jam extet, per novem libros digesta, promittit. Seriem operis & summa librorum singulorum capita B. Lector inde petet; pleniorem vero ex Actis futuris relationem, quamprimum luci publicæ exponitur, juris nostri futurum est.

LA CRITIQUE DE L'ORIGINE DE L'AUGUSte Maison de France, par le R. P. Adrien Jourdan, de la Compagnie de Jesus.

i. e.

ADRIANI JORDANI SOC. JES. CRITICA, de origine Augustæ Familiæ Regum Galliæ: dedicata Ser. Principi Condæo.

Paris. 1683. in 12. apud Sebastianum Cramoisy.

QVæ difficultates studio Genealogico ex defectu veracium & accuratorum Historicorum, & per fraudes falsa documenta supponentium objiciantur, questi jampridem sunt docti & sinceri Autores, qui summorum Principum stirpes enarrandas sumserunt. Inter hos non contemnendum locum ob eruditionem & diligentem veterum monumentorum perscrutationem sortiri censendus est, qui Criticam hanc disquisitionem composuit, & Historiam Galliæ an. 1679 a se editam, cujus summa in *Diario Eruditorum Parisiensi 3 & 24 illius anni* exhibetur, adversus dissentientes circa Regum Genealogiam defendit. Inter hos honorifice nominat Ducem Espernonium, qui de vera origine tertiæ Regum familiæ librum *Diario Paris. 6, a. 1680* recensitum, Gallice edidit, ejusque comitatem celebrat, quod eam refutare sententiam suam decrevisset, argumentorum consignationem sibi communicaverit. Eo itaque, ut sperat, non ægre ferente, ad dubia respondet, & judicium Condæo Principi, non minus ob acre de studiis elegantioribus judicium, quam armorum gloria eminenti submisse defert. Quæstionis capita duo sunt; tot etiam tractatus partes. Agitur primo de majoribus *Arnulphi*, quem *Sanctum* vocant, a quo per

Pipi-

Pipinum secunda Regum Galliæ stirps, nempe *Carolina*, communi fere consensu Gallicorum scriptorum, deduci solet. Dein de majoribus *Roberti* Comitis Andegavensis, cognomento *fortis*, disceptatur, ex quo Hugo Capetus, Regum, qui nunc Gallis imperant, progenitor descendisse creditur. Variatum esse de utriusque, Arnulphi nempe & Roberti origine, mirum videri nemini potest, qui & barbariem illorum seculorum considerat, & scriptorum, ex quibus historia eruenda est, ruditatem, aliosque defectus, in quibus examinandis accuratus & sedulus est Jordanus; ut & in allegandis & conciliandis eorum dictis, quos pro sua sententia, quam rejectis aliis stabilire intendit, facere arbitratur. Summa est: Arnulphum ex prima Galliæ Regum familia ortum habuisse, quæ ante Carolinos imperavit, & vulgo *Merovæa* dicitur; Robertum vero ex eodem Arnulpho descendisse; Unde conficitur, unam eandemque stirpem esse, quæ jam per quindecim secula Regno Galliæ potita est, quam gloriam nulla toto orbe regnans familia sibi asserere possit. Argumenta quibus isthæc adstruit, & quomodo refutet objecta, enarrari per compendium non possunt, nisi haud multo brevius ipso tractatu facere vellemus. Adscribemus tamen seriem Regum & Principum, quam a se erutam aut comprobatam Autor fini tractatus subjunxit, & singulis ubi opus est, adjiciemus observationes quasdam ex tractatu excerptas.

FRANCUS.	Ita Francorum Rex aut Dux, eodem nempe, quo gens, nomine vocatur, qui tertio a nato Christo seculo Gallias invasit, imperantibus Valeriano & Gallieno.
GENEBAUDES.	Maximiani & Constantini tempore.
MALLOBAUDES.	Constantii, Valentis & Gratiani;
PRIAMUS.	Valentiniani & Theodosii:
MARCOMIRUS.	circa eadem tempora.
PHARAMUNDUS.	Hunc, quem extitisse recentiores quidam dubitant, multis rationibus & vixisse, & Marcomiri filium fuisse statuit, quem juvenem pater Honorio Imp. obsidem dederit, cuique post occisum ab Honorii Duce Castino Theodemarum, Francorum in Belgica regnum delatum sit. Firmat hæc ex Chronico Prosperi (alius a S. Prospero,)

ro,) cujus fidem adversus Duc. Espernonium defendit, & Petri Bibliothecarii, ex quo contraria adducuntur, elevat. Ex eodem Prospero, digressione facta, de hæresi *Prædestinatianorum* quædam inserit, suæ Societatis gratia, adversus æmulos, quos Jansenistas vocant.

CLODION. Tempore Valentiniani III. Huic successisse plerique scribunt *Meroveum*, a quo *Merovingii*, prima Regum stirps nomen sortita est, nec dissentit autor, sed filium Clodionis fuisse negat, privignum tamen facit, qui filio Clodionis impubere extruso regnum occupaverit, Romanorum Duce Aetio, cui contra Attilam suppetias tulit, adjuvante.

SIGIMERUS. Hic Sidonio Apollinari, illustri viro, & Arvernorum, cum senex esset, Episcopo (cujus libri extant,) memoratus, ab Autore dicitur Clodionis filius fuisse, & uxorem duxisse filiam Tonantii Ferreoli Præfecti Prætorio Galliarum, qui gener erat Imp. *Aviti*. Alii Sigimerum hunc Burgundum aut Visigothum faciunt, quos refellit Autor, & sententiam suam ex *Prisci Rhetoris*, aliisque testimoniis, & argumentis adstruit; silentium vero Autorum, qui regnante & præpollente Meroveo, ejusque liberis, metu aut neglectu tacuerint, utcunque excusat.

FERREOLUS. Huic nomen ab avo materno, ut sæpe fit, contigisse ait, uxorem vero Clodovæi Gallorum Regis filiam, dein secundo matrimonio aliam Romanæ, ut conjicit, stirpis Deuteriam sive Ætheriam. Alii, & ex recentioribus Buchetus, Ferreolum hunc, Ferreoli Tonantii filium faciunt.

ANSBERTUS. Ferreoli (ut autor asserit) filius ex secundo matrimonio, qui tamen Imperatoriæ stirpis fuisse dicitur, sed ut autor existimat, non ex paterna linea, verum ob aviam, Aviti Imperat. neptem.

Fra-

Fratres habuit *Aigulphum* Metensium, & *Firminum* Uticensium in Aquitania, Episcopos, sanctitate celebres. Uxorem ei assignat, idque prolixe adversus dissentientes tuetur, Blitildem Clotarii I. Gall. Regis filiam, ex qua natus sit *Ferreolus Episcopus Uticensis*, hic quoque sancti cognomentum adeptus.

ARNOALDUS. Sigeberti I & Guntrami Gall: Reg: tempore claruit, uxoremque habuit *Odam*, illustrem ex Suevis fœminam, qua mortua, Episcopus Metensis factus est, in locum S. Aigulphi patrui.

ARNULPHUS. Clotarii II. & Dagoberti temporibus vixit. Rejicit autem autor Chifletii, Bucheti, & aliorum opiniones, per quas Arnulphus vel ex Meroveo deducitur, vel ex Gallica, non Francica stirpe, contra decus Francorum gentis: ostendit etiam falsitatem Chartarum, quas Leodii & Divione nuper inventas quidam allegarunt. Hæc parte prima habentur; sequentia in secunda.

ANCHISES. Arnulphi filius, qui nomen ex occasione fabulæ de Trojana Francorum origine traxerit, (rectius fortasse Ansegisus scriberetur.)

PIPINUS. *De Heristallo* cognominatus, magister Palatii regii Gallis scriptoribus illius ævi satis memoratus.

HILDEBRANDUS. Multa de hoc dubitatio est. Chifletius Longobardum fuisse tradit, quem acriter refutat Jordanus, & hunc Hildebrandum Caroli Martelli fratrem, Pipini, qui Caroli M. parens fuit, patruum, fuisse asserit.

NIBELONGUS. Comes *Matricensis*, (locus nunc ruderibus & oblivione sepultus in Neustria) Caroli M. tempore.

THEODEBERTUS. Ludovici Pii tempore vixit, & secundum autorem uxorem duxisse fertur, Pipini Regis Aquitaniæ filiam Ingeltrudim.

ROBERTUS. Hic demum est, qui Caroli Calvi tempore Co-

Comes Andegavensis fuisse, & ob bellicam virtutem *Fortis* cognomen meritus esse dicitur, cui primam uxorem *Agaven* Comitis Bituricensis filiam autor assignat; alteram vero *Adelaidem*, viduam *Conradi*, qui frater erat *Juditha Imperatricis*, ex qua *Odonem* & *Robertum* genitos, tradit, qui Reges Galliæ fuerunt. Rejicit diversas opiniones, præcipue eam, quam plerique asseruerunt, quod Robertus hic Saxonici generis fuerit, a *Witechindo* Magno ortum habens. Minime id probabile esse ait, quod in tanta Illustrium Francorum eo tempore multitudine, externæ originis homo, ad eam claritatem pervenerit, ut ejus filii ad regnum Francicum eveherentur, neque peregrinitatem hanc ab adversariis silentio transmissam fuisse credi posse, cum alia objicerent. De origine erroris conjecturam affert, de *Saxiaco* in Biturigibus tractu, cujus dominium ad Robertum forte pervenerit. Probato igitur, (ut probasse se arbitratur Jordanus,) quod Robertus ea quam referimus progenitorum serie, ex Arnulpho, & hic ex Pharamundo genus paternum habeat, neque dubitetur, quod Roberto filius *Robertus* Galliæ Rex, nepos *Hugo* comes cognomento *Magnus*, pronepos *Hugo Capetus* fuerit; demonstratum utique erit ab autore, quod demonstrare voluit, nempe Regiam, quæ nunc floret, stirpem eandem esse cum Carolina, & hanc eandem cum Merovæa, adeoque falsa esse, quæ alii sive ex autoribus errantibus, aut male intellectis, sive ex chartis suppositi-tiis (quales multa; in scriniis reperiri, aut hodie quoque fingi queritur) scripserunt aut crediderunt.

DOUTES DE MR. BERNIER SUR QUELques uns de principaux Chapitres de son Abregé de la Philosophie de Gassendi.

Dubia Dn. Bernier, de principalibus quibusdam capitibus suæ Epitomes Philosophiæ Gassendi.

Parisiis 1682. in 12. apud S. Michallet.

SUnt quædam Philosophiæ capita tot tantisque difficultatibus obnoxia, ut iis se vix quisquam, quantumvis ingenio & experientia rerum naturalium plurimum pollens, satis feliciter expediat. In horum numerum referri debent celebres illæ Physicorum controversiæ de spa-

Spatio, Loco, Motu, Tempore ac similes, quas dum pertractamus, facile quidem est, in aliorum placitis, quid displiceat invenire, difficillimum autem eadem corrigere, quin rursus aliorum censuram incurramus. Quod cum Eruditissimus Gallus *Dn. Bernier*, qui ante aliquot annos Epitomen *Gallicam* Philosophiæ Gassendi edidit, agnovisset, iisque difficultatibus ne quidem per Epicurea Gassendi principia satisfieri invenisset, voluit is, antequam latinam Epitomes suæ versionem literato orbi offerret, dubia quædam proponere, ac Eruditorum super ista sententiam scripto publico rogare. Monet autem in præfatione ad Lectorem, ista dubia non concernere Philosophiæ Epicureæ fundamentum (quod ipse pro immoto ac fixo habet, ut credat, neminem physicorum alii hypothesi, nisi isti de atomis & vacuo corporibus interspersо, satis firmiter inniti posse) sed tantum certas quasdam materias, quæ nihilominus in rerum naturalium contemplatione accuratius considerari mereantur.

In ipso opusculo hunc ordinem Autor servat, ut post propositum quodque caput, dubiam primo Gassendi sententiam, deinde argumenta, quæ istam evertant, proponat. Initium fit a *Spatio*, quod *Gassendus*, uti aliunde notum est, tanquam infinite extensum, æternum, immobile ac incorporeum, ita ut ejus dimensiones penetrabiles, in partes tamen divisibiles sint, describit. Cumque ex his sequatur, spatium a DEO independens ac increatum esse; absurdum autem sit, rem ullam præter summum ac immutabile Numen a seipsa existere: hinc asserit porro idem Philosophus, spatium tale nec substantiam esse nec accidens, imo nec positivum quid, esse tamen rem veram suo modo, quæ negative vel exclusive concipi debeat, interim non dependeat a sola imaginatione, sed ante omnem humanæ mentis actum existat. Post enarratam hanc Gassendi sententiam, profert Autor quasdam rationes, quæ persuadeant, spatium esse non nisi merum nihil. Quia vero de his e celebri controversia de spatiis imaginariis inter Conimbricenses, Fonsecam, & Suarezium, ac inter nostros etiam Theologos dudum agitata constat, hinc eas speciatim hic enumerare supervacaneum fuerit. Difficulter certe res præter Deum æterna, independens, immensa ac incorruptibilis admittitur; absurde eadem incorporea, & in partes tamen divisibilis dicitur. Physicum denique non decet admittere ens, quod ipse nec videt nec palpat, nisi ra-

tiones sat evidentes id demonstrent. Hæc fere sunt momenta eorum, quæ Gassendo ab Autore opponuntur.

Finita consideratione *spatii*, pergitur ad *Locum*, quem Gassendus vocat *spatium, quod a quovis corpore occupatur*. Dn. Bernier vero in dubiis annexis Aristotelis sententiam propugnat, ceu clariorem & faciliorem. Rejicit tamen Peripateticorum commune assertum, quod locus sit immobilis, ac ostendit nullam esse absurditatem, si res immota mutare locum dicatur, modo aliter definiatur motus, ac vulgo fieri solet. Pro inconveniente etiam non habet, affirmare, quod, si res quæpiam extra mundum in vacuo esse concipiatur, ea in loco omnino non sit.

Inde fit ad *motum* progressio. Eum Gassendus dicit *translationem rei ex loco uno in alium*. Dn. Bernier generatim probat, & inutile, & periculosum esse modos rerum definire. Inutile, quia modi sint satis per se clari ac evidentes, & in explicanda rei cujuslibet natura pro notioribus habeantur. Periculosum, quia modorum definitio facile quempiam seducat, ut rerum modos cum rebus ipsis confundat, & modis esse quoddam verum ac positivum affingat. His præmissis, speciatim Gassendi, Aristotelis, & Cartesii descriptiones motus aggreditur, &, quid quæque incommodi secum ferat, ostendit. *Celeritatem ac lentorem motuum* Gassendus ab interspersis & admixtis morulis deducit. Bernier ad id, quod modo de affectionibus entium non definiendis dixerat, recurrit, motumque & quietem obliquitati ac rectitudini rerum comparat, quibus intelligendis non opus sit descriptione. *Motum corporum projectorum* idem explicatu haud difficilem esse affirmat, quippe cum modus sit aut certa ratio existendi, quam res quævis tamdiu servet, donec ab alio corpore eadem privetur. *Percussionem duorum corporum* ita interpretatur, ut cum iis, quæ vulgo afferuntur, satis conveniat. Quomodo autem globulus ferreus incudi incidens resiliat, id accuratius sibi explicandum sumit. Negat enim tribui hunc affectum debere partibus incudis & globuli, quæ vehementia casus inclinatæ postmodum cum impetu instar arcus resiliant ac se invicem impellant, cum experientia probet, follem distensum atque aere plenum, si manu contra tabulam marmoream prematur, nunquam resilire, quantacunque celeritate digiti inde referantur. Potius igitur globuli illam reflexionem ita contingere colligit, ut particula A, quæ in extremitate globuli esse, ac prima

omnium

omnium incudem tangere intelligitur, pressa retrocedat, ac eo *ipso* moveat partem alteram B, hæc rursus aliam C, donec ad ultimam Z perveniatur, quæ communicato ab aliis partibus impetu resiliat, omnesque partes totius globi secum quasi ligatas abripiat, ut ita globus sursum feratur. *Actum resiliendi* corporum, quæ prius vi incurvata fuerant, velut baculi, laminæ ferreæ, aut arcus, Gassendus ita explicat, ut statuat, unicum esse eorum motum ex inclinatione & reflexione compositum. Autor vero huic sententiæ opponit casum, quo corpus v.g. baculus per duas tresve horas ita teneatur inclinatus, vel alligetur etiam, ut nonnisi post aliquod tempus relaxetur: & inde colligit, quum hoc pacto motus inclinationis a motu reflexionis tempore separatus sit, non posse motum quendam ex utroque compositum admitti.

Pertractatis omnibus, quæ de *motu ejusque speciebus* dici possunt, devenitur ad *tempus*. Huic *Gassendus* easdem proprietates tribuit, quas antea *spatii* esse dixerat, & in eo solo unum ab altero distinguit, quod *temporis* partes sibi invicem succedant, *spatium* autem omnes simul habeat. Hoc sensu *tempus* ipsi est *extensio incorporea successiva*. *Bernier* facto inter *durationem* & *tempus* discrimine, negat *istam* definiri vel posse vel debere, eo quod vox ipsa significatum suum satis clare exprimat, modum videlicet rei cuilibet essentialem, & ab ejus existentia inseparabilem. *Tempus* autem vocat *aliquam durationem determinatam, quæ tanquam cognita & evidens pro mensura serviat, alias durationes longiores & minus notas exacte cognoscendi.* Unde infert, si nullus omnino motus in hoc universo daretur, & nihil præter rem unicam immobilem esset, illam quidem rem duraturam, nullum tamen tempus fore, quod hanc ejus durationem actu metiatur. Interim non negat, facta ista hypothesi, rei istius in mundo unicæ durationem talem concipi debere, ut potuerit respondere tempori finito, si aliquando cœpisset, aut infinito, si ea semper durasse supponeretur. *Æternitatem Gassendus* vocat *durationem mensuratam, quæ initio & fine caret,* nec alia ratione vult eam a tempore distingui, nisi quod æternitas infinita sit, *tempus* autem, juxta vulgarem hujus vocis acceptionem, ejus tantum aliqua particula. *Autor* noster *durationem DEI* seu continuatam ejus existentiam putat æternam dici, non quod ipsa e temporibus infinitis componatur, seu iis-

dem respondeat, cum ante mundi creationem nullus fuerit motus, adeoque nullum etiam tempus, sed quod talis sit ad differentiam rerum creatarum, ut, si infinitæ fuissent durationes, ipsa his potuisset mensurari.

Sub opusculi finem Autor dubiorum par subjicit, quorum unum atomos concernit, alterum vacua atomis interspersa. Primo dubitat, an *celebri & ordinariæ objectioni, qua atomorum existentia impugnatur, recte a se sit satisfactum?* Objectionis illius hæc est summa: *Particula atomi A, quæ Orientem spectat, non est ista B, quæ Occidentem versus est. E. hæ particulæ sunt realiter distinctæ, & per consequens separabiles.*

Hic Autor negat separabilitatis verum ac genuinum signum recte dici realem partium distinctionem, & asserit, id omne inseparabile esse, cujus partes, utut realiter distinctæ, vi separanti non cedant, sed ita duræ ac compactæ sint, ut eidem resistant.

Ad instantiam, quod partes atomi possint, si non per alterius corporis introductionem, quam atomi durities impediat, saltim per diversos motus partium, quibus una huc, altera illuc trahatur, separari, respondet Autor distingui debere corpora contigua a continuis; falsum esse, quod non nisi contigua in mundo dentur; motum quoque velocissimum non esse semper separationis causam, cum pulvis adamantinus, utut raptissime motus, nunquam dissolvatur. Ultimo loco Autor vulgare argumentum Lucretii a motu desumtum, *quod ad probanda vacua illa spatiola inter corporum partes solidas intercepta* urgetur, affert, idque Eruditorum censuræ subjicit.

Quæ omnia, utut maximam partem, e disputationibus hoc seculo inter Philosophos summa contentione habitis, nota sint, *prolixius* tamen hic referenda putavimus, quoniam Autor Doctos *invitavit*, ut suum sibi judicium de rebus propositis communicent, ac decernant, num dubia ejus rationi & naturæ rerum satis sint consentanea.

LES IMAGINAIRES, & LES VISIONNAIRES. Traité de la foy humaine. Jugement equitable tiré des œuvres de S. Augustin. Lettre de M. Nicolas Pavillon Eveque d'Alet, a M. Hardouin Perefixe, Archeveque de Paris.

id est,

id est,

Epistolæ Imaginariæ & Visionariæ. Tractatus de fide humana. Judicium æquum ex operibus S. Augustini extractum. Epistola Nicolai Papilionis Episcopi Aletensis, ad Hardovinum Perefixum Archiepiscopum Parisiensem.

Coloniæ 1683, in 8.

QUæstionem summa vehementia inter *Jesuitas* & Theologos quosdam Lovanienses primum, dein Parisienses, eosque omnes Romano-Catholicos, de libro *Cornelii Jansenii Episcopi Yprensis*, post mortem tamen ejus edito, cui titulus est *Augustinus*, plurimis annis agitatam, neque decretis Pontificiis, neque Regiis, sopiri hucusque potuisse, semperque in nova inter partes odia erumpere, notum est omnibus, qui non ignari sunt rerum, *quæ in Republ. sacra & literaria* geruntur. Prævaluerunt eatenus Jesuitæ, qui sibi SemiPelagianismum a Jansenio imputari ægerrime ferebant, ut & quinque propositiones Jansenio imputatæ, a Pontifice Innocentio X damnarentur, & formulæ a Pontifice & Episcopis Galliæ præscriptæ proponerentur, ad quarum subscriptionem sub excommunicationis pœna, doctores & pastores, etiam monachi & monachæ, testandæ erga Pontificium decretum obedientiæ causa, adigebantur. Maluere tamen quidam Theologi, & ex sacris virginibus illæ, quæ Lutetiæ monasterium *Portus Regalis* incolebant, extremum censurarum rigorem pati, quam formulis illis subscribere, non quod circa dogmata dissentirent, sed quod quinque propositiones in Jansenii libro non reperiri, atque adeo Pontifici in iis excerpendis fucum factum esse contenderent. Agitabatur itaque controversia jam non solum de *gratia sufficienti, efficaci, necessitante*, aut de disciplina Ecclesiastica a Confessionariis exercenda, quam relaxari a Jesuitis querebantur Episcopi & Pastores ordinarii; neque de *probabilitate*, qua conscientiis consultum putant Jesuitæ; sed vel maxime de infallibilitate Ecclesiæ, sive Pontificis, quam utraque pars in dogmatibus suo modo agnoscit, sed in quæstionibus facti, Theologi, totusq; præter Jesuitas, Clerus Gallicanus, negant. De prioribus controversiis plurima extant partium scripta, inter

quæ maximam offensam concitarunt *Literæ Provinciales*, quibus moralis Jesuitarum disciplina exagitatur. At aliæ de infallibilitatis quæstione tractantes, editæ sunt jam olim anno 1664, 1665, & 1666 singulatim, sed in unum volumen aut nunc congestæ, aut recusæ, quibus *Imaginariarum* & *Visionariarum* titulum autor fecit, sive is *Antonius Arnaldus*, ut plerique putant, sive alius sit, doctus certe & facundus.

Distributæ autem sunt in duas partes. Prima est *Imaginariarum*, quas ita nominat autor, quia de hæresi imaginaria, sive falso imputata queritur. *Epistola prima* ostenditur, futilem & levissimam esse controversiam, utrum nempe propositiones illæ quinque in Jansenii libro reperiantur, nec ne? Comparat cum hac lite illas, quæ de *cuculli Franciscani* mensura, & de proprietate panis, quem monachi illi comedunt, & de qua constitutiones *Joh. XXII* inter *extravagantes* leguntur, superioribus seculis, magna mole, nec sine sanguine actæ, at nunc vel obliteratæ vel risui expositæ sunt. Unde conjicit autor, totam hanc de Jansenio concertationem brevi tempore eodem modo expiraturam.

Secunda Ferrerio Jesuitæ Tholosano opposita est, qui de *Idea Jansenismi* tractatum ediderat.

Tertia originem & progressum disceptationum inter Theologos & Jesuitas enarrat, ab Anno 1626 usque ad Annum 1664. Nempe *Garassi* Jesuitæ & *Abbatis Sancyrani*; tum inter *Smithum*, quem *Urbanus VIII* Pont. in Angliam Episcopum miserat, & Jesuitas illius regni, de hierarchia seu Episcoporum autoritate, & de Sacramenti, quod vocant, Confirmationis necessitate. Refertur etiam, quemadmodum pro Episcopis scripserit *Petrus Aurelius*, vel ut creditum est, sub hoc nomine, *Sancyranus*, approbante *Clero Gallicano*: damnati vero fuerint, qui contrarium tuebantur, Jesuitarum, *Celoti* inprimis, libri. Porro, ut edito ab *Arnaldo*, pro *Sancyrano*, & ad improbandam Jesuitarum circa disciplinam & absolutiones methodum, libro *de frequenti communione*, tota fere Societas excitata, hæreseos inculpaverit autorem, calamumque acerbe strinxerint *Brisacerius*, *Seguinus*, *Meynerius*; damnati tamen Romæ fuerint *Biroti* Jesuitæ, & *Caramuelis* Episcopi, *Apologetici* pro *Casuistis*; approbati vero libri *Antonii Merendæ* Bononiensis, & *Prosperi Fagnani* Prælati Romani, in quibus probabilitas,

babilitas, a Jesuitis defensa, pro commento diabolico traducitur. Narratur denique, ut librum Jansenii primo *Lovanienses* Jesuitæ, dein *Habertus* quidam, concionator Parisiensis, aggressi sint, & 40 hæreticas propositiones in illo contineri jactaverint, quæ tandem ad quinque, & quoniam ne hæ quidem monstrari in Jansenii opere potuerint, ad nihilum redierint. Superesse autem jam unicam rixandi ansam, de hac ipsa *quæstione facti*, an nimirum reperiantur damnatæ illæ quinque propositiones in libro Jansenii, nec ne? Negant autem reperiri, nisi primam, (sed in antecedentibus & consequentibus orthodoxe explicatam) & ad inspectionem libri provocant *Jansenii* defensores. Unde efficiunt, Pontifici qui eas inesse decrevit, & condemnavit, subreptum, illumque falsum fuisse, quod impium dictu nunc putent Jesuitæ, obstante licet omnium Theologorum sententia, qui infallibilitatem ad dogmata restringunt. Allegatur exemplum non damnati, examinati licet, ab inquisitionis Tribunali, libri *Georgii Laudensis*, anno 1660 Neapoli editi, in quo Lateranensis concilii decretum contra libellum *Abbatis Joachimi*, de Trinitate, erroris in facto arguitur, quod imputasset Abbati, quæ non scripserit aut senserit.

Epistola *quarta* dubitandum non esse ostendit, quin Jesuitæ, etsi P. *Annatus*, Regi tunc a confessionibus, subtilius loquatur, infallibilitatem Pontifici, etiam in quæstionibus facti, tribuant. Allegat theses & libros, quibus id probatur, cum aperte statuunt, Pontificem tam in quæstionibus facti, quam juris, eandem infallibilitatem habere, quam Jesus Christus habuerit, ideoque ei credendum esse, cum pronunciaverit, quinque Propositiones extare in Jansenii libris; vidisse enim illum oculis Ecclesiæ, & sensum autoris, per illuminationem Spiritus S. penetrasse. Rejiciendum ergo hunc sensum esse, ab iis etiam, qui illum non inveniant, aut capiant. At hanc sententiam, quod Pontifex in factis inspirationes & revelationes divinas habeat, autor epistolæ hæreticam pronuntiat, idque etiam *Elisaldum* Jesuitam Hispanum, allegato communi doctorum consensu, libro *de ratione veræ religionis quærendæ & inveniendæ*, anno 1663 edito, statuere refert.

Epistola *quinta* solatia promit iis, qui formulæ subscriptione recusata, ab Episcopis excommunicabantur, dum injustam excommuni-

municationem non patientibus, sed inferentibus nocere docet; allegatis plurimis Patribus & Doctoribus, ipsoque Jure Canonico.

Epistola *sexta*, quinto Archiepiscopi decreto de subscribendo, licet jam omissa phrasi, *de fide humana*, mollius loquatur, salva tamen conscientia non magis ac præcedentibus obtemperari posse deducit.

Epistola *septima* sanctitatem, licet Gregorii VIII decreto, Pontificibus vi Canonicæ ordinationis tributa sit, successores ipsos sibi non arrogasse monet, veritos, ne cum sanctitas deficeret, ordinatio in dubium vocaretur; sed ab adulatoribus aulæ Romanæ inventam postea esse opinionem, de potestate Papæ supra concilium in dogmatibus, qua præsidium adversus Episcopos, reformationem in capite & membris postulantibus quæsitum fuerit. Jam Jesuitas, etiam hoc extendentes, infallibilitatem in factis comminisci, non alio fine, quam ut quidquid ex utilitate sit, vel ad adversarios opprimendos conducat, statui possit; qua ratione nemo posthac tutus sit futurus, quin si de verbis convinci nequeat, ex sensu, per divinam scilicet inspirationem Pontifici innotescenti, condemnari queat. *Bellarminum* opponit, qui expresse statuerit, Papam & solum, & cum concilio, in controversiis facti & particularibus errare posse. Nec aliter excusari, quæ objiciantur *Honorio, Vigilio, Stephano V, Sergio III*, qui omnes manifeste in factis decepti fuerint.

Epistola *octava* apologiam habet pro epistolis huc usque editis, quibus objectum fuit, quod contra charitatem peccent, taxando Archiepiscopum, & alios in ecclesiastica dignitate constitutos. Summæ enim charitatis opus esse ait, injuste agentes etiam superiores argui, idque exemplo Pauli Petrum reprehendentis, cuivis Doctori orthodoxo licere adversus Pontificem.

Epistola *nona* pro enormi injustitia habet, quod virgines *Portus regalis* ex monasterio ejectæ, carceri mandatæ aliisque modis durissime tractatæ fuerint, ab aliis etiam virginibus, quæ lictorum manus in eas exercuerint, ob recusatam subscriptionem formulæ. Præterquam enim, quod fœminis quæstio nullius momenti, nec earum captui conveniens, non fuerit proponenda, merito recusasse eas obedientiam in re, quæ divino præcepto, quod falsa asseverare vetat, adversabatur. Hoc enim semper præferendum, dictis Scripturæ plurimis firmat, & licet plerique aut omnes injustis mandatis obsequantur,

tur, vel uni licere, & summe laudabile esse asserit, si resistat. Confirmat id exemplo *Joh. Caravajalis Cardinalis*, qui *Paulo Secundo* Pontifici, contra juramentum suum & Cardinalium, indebitam subscriptionem exigenti, solus se opposuerit.

Epistola *decima* Christi exemplum proponit, qui non ut Philosophi per argumentorum, quæ paucissimi capiant, ambages & subtilitates, nec per refutationes adversantium opinionum, sed temperamento egregio doctrinam suam ita proposuerit, ut & autoritate sola & nuda non uteretur, Scripturas quippe allegans, atque ita ingenio hominum, qui rationes doctrinæ expetunt, se accommodans; tum debilitati eorum prospexerit, miracula edendo, quibus dicta confirmabat: sic enim a difficillima & impossibili Philosophorum Theologia eos liberasse, & adversus imposturam falsorum Prophetarum præmunivisse. Inde eodem fere stylo, & argumentorum apparatu, qui in libro *præjudiciorum Arnaldo* tributo reperitur, Ecclesiasticam autoritatem stabilire, & notas quibus vera, id est Romano Catholica Ecclesia, discerni debeat, demonstrare satagit, ut conjectari hinc & ex aliis indiciis possit, eundem harum epistolarum, illiusque libri autorem esse. Monet vero deinde inventa jam semel Ecclesia, ejusque autoritate agnita, non simpliciter credendum esse pastoribus; nam & in media Ecclesia falsos Prophetas extare, idque ad Jesuitas applicare nititur, & condemnatum eos iri tandem a Pontificibus ominatur.

Parte secunda, *octo* continentur epistolæ, quas *Visionarias* inscripsit autor, quia cuidam nomine *Desmarests de S. Sorlin*, oppositæ sunt, qui fanaticis opinionibus propalandis famam ante annos hos viginti adeptus est. De hujus libris, & moribus, & quomodo duos Enthusiastas & nugatores alios, Carpium & Morinum, (ex quibus hic supremo supplicio affectus fuit,) secutus sit, dein deseruerit & prodiderit, multa refert, gravi cum querela, quod iste scripta & dicta, manifestæ heterodoxiæ convincenda, impune apud Clerum tulerit, non alia ut putat, indulgentiæ causa, quam quod in *Jansenistas*, & adversus virgines *Portus Regalis*, virulenta convitia sparsisset. Hæc itaque singulatim refellit, præcipue epistola ultima. Sed nec intacta sinit, quæ is impia, aut saltem vana & inepta, in libris suis jactavit, de intimo cum Deo commercio: de exercitu 144000 suæ disciplinæ hominum comparando, quibus victimarum amoris nomen fecit, & per

quos Rex totum fere orbem sub suum imperium & obedientiam sedis Romanæ reducturus sit: item de methodo nova & expedita, scilicet *annihilationis*, qua ad perfectionem vitæ Christianæ & mysticæ perveniri possit. Adversus hæc pie & docte multa commentatus est autor epistolarum, & lectu digna per digressiones tractat, v. g. *Epistola prima* de duplici ratione gratiæ, quam Deus fidelibus suis impertitur, ordinaria & extraordinaria, quam aliqui *orationem mentalem* sive supernaturalem vocant, & de abusu & errore, in quem fanatici veteres lapsi sunt, & novi quotidie incidunt. Addit populari quadam facilitate, *Epistola septima & octava* dissertationes, ex sua hypothesi, *de auxiliis gratiæ*, & quomodo cum his operatio Christianorum in exercitiis pietatis concurrat, in quo rejectis omnibus Enthusiasticis figmentis, tuto & salubriter persisti possit & debeat.

Tractatus de fide humana, decretum *Archiepiscopi Parisiensis*, de quo supra dictum est, plurimis argumentis oppugnat, & distinctionem fidei divinæ & humanæ, aliasque omnes, quibus infallibilitas Ecclesiæ circa facta stabiliri videtur, rejicit. Respondet etiam ad objecta, inprimis ad exemplum *Canonizationis* Sanctorum, quam, etsi diligentissima investigatione peragatur, pia tamen potius præsumtione, quam indubitate credi ostendit, neque hac in commoda Ecclesiæ peccari, aut scandalum hæreticis dari, quemadmodum detur, attribuendo Pontifici & hominibus, quæ solius DEI sunt. Nam quod infallibilitas in dogmatibus Ecclesiæ tribuatur, ex promissione divina, & principiis Scripturæ, & (quod ex sententia Romana addit,) traditionum, pendere, qualis in factis non detur. Neminem itaque ab Ecclesiæ communione repellendum, qui neget non credenda, aut inconsuetam atque intempestivam subscriptionem Formulæ recuset, nec hominum servus fieri velit, assentiendo omnibus, quæ sub talis infallibilitatis a Deo non promissæ prætextu, & per dominationem Episcopis non concessam, obtruduntur. Solis Jesuitis per decreta illa consultum fuisse, ut occasionem haberent persequendi, qui errores eorum in articulo gratiæ, & corruptionem disciplinæ arguerint. Quam facile autem decipi possint Pontifices & Concilia in judicandis factis & personis, exemplis ex historia Ecclesiastica allatis comprobat, neque ante annos decem, id est, antequam Jesuitæ novum de infallibilitate in factis dogma produxerint, ullum fuisse autorem contendit,

dit, qui lapsus illos, v.g. *Honorii, Liberii*, & Conciliorum, aliter, quam concessis in facto erroribus, excusaverit. Pluribus dein enarrat, multaque cum libertate, quomodo *Innocentius X* quinque propositiones damnans, tum ignorantia Theologiæ, tum affectibus accusatorum & jussionibus Regiis cedens, deceptus & lapsus sit. Nec veretur dicere, se magis credere in quæstionibus facti, (*Gerson* olim idem de quæstionibus juris scripserat,) Doctori uni perito & gravia argumenta afferenti, quam Pontifici, ex mala informatione, aut affectibus judicanti. Ita fidem merito se adhibere *Dion. Petavio* Jesuitæ, ob Græcæ Linguæ peritiam, & argumentorum pondera, qui adversus Concilii V, & multorum Pontificum, etiam S. Gregorii, prædecessorum scita bona fide sequentis decreta, *Theodoretum Cyri Episcopum*, a Nestorianismo absolvat; & *Bellarmino*, qui *Eugenii* IV Papæ bullam erroris convincat, qua statuitur, Cardinales non Episcopos, semper locum priorem præ Episcopis non Cardinalibus in Ecclesia habuisse. Invehitur in adulatores, quos diaboli vicem in aula *Pontificia* præstare dicit, cum eum, attributa infallibilitate in factis, supra humanam conditionem evehunt.

Judicium æquum, brevis est dissertatio, de fugienda temeritate judicandi, sive hæreses & crimina per mendacium, & sine idoneis probationibus, alicui tribuantur, sive defectus minores exaggerentur. Desumta autem fere omnia sunt ex *Augustino*, contra *Donatistas* & *Manichæos* scribenti, ex quo egregiæ sententiæ referuntur, & ad Jansenianam controversiam applicantur, ita tamen, ut in omnibus ejusmodi quæstionibus ad moderationem servandam utilem præstent admonitionem, v.g. cum Augustinus de iis, qui omnia in meliorem partem interpretantur, etsi errent, scribit: *Hic error non modo humanus est, sed & homine dignissimus.* Et de non temere judicando de absentibus & mortuis, atque sic non satis auditis: *Quibus argumentis mortui vel absentis hominis voluntatem ita colligam, ut de illa jurare possim?* item: *Esset ne quisquam tam improbus, qui mihi succenseret, quod bona de homine in re dubia potius existimem, etiam cum male diceret?* & alia plura.

Epistola denique Episcopi Metensis, 7 Novembris 1667 ad Archiepiscopum Parisiensem, decretorum de subscribenda formula autorem, data, breviter & accurate quæstionem de fide humana tractat, & ne-

& neminem ad subscriptionem cogendum esse suadet. Sed notatur, nihil responsum ab Archiepiscopo, multo minus consilium hoc approbatum fuisse. Est hic idem Episcopus, qui ob Jansenii causam, & quod disciplinam in diœcesi sua restituere, maxime vero eos, qui post confessionem & communionem sacram statim in peccata, a quibus absoluti erant, relabebantur, a Sacramentis arceret, multa passus esse in tractatu *de fide humana* refertur.

JOH. HEVELII
Historiola Cometæ Anni 1683.

PLurimi sine dubio, inprimis ii, quibus Historia Cometarum non adeo plene cognita est, haud parum mirabuntur, quod ab Anno 1680, in tribus scilicet annis, tres Cometæ notabiles in cœlo fulserint; imo si accurate loquendum, spatio unius anni duo revera extiterint. Nam Anno 1682 a mense 25 Augusti ad 17 Septembr. satis conspicuus Cometa luxit; prout ex observatiunculis meis, Actis Erudit. Lipsiensibus mense Novemb. dicti anni insertis, videre est. Nunc rursus priusquam adhuc totus iste annus effluxit, alius novus exortus est, quem a die 30 Julii, st. n. ad 4 Sept. ex voto observavi, & cujus historiolam hisce, amice honorande, brevibus Tibi trado. Verum enimvero non est, quod adeo miremur, tres Cometas in tribus hisce elapsis annis nobis apparuisse: cum pluries non solum in tribus, vel 4 annis, tres & quatuor illuxerint, sed etiam spatio 5 annorum 5 diversi, & quidem maxime notabiles: sicuti ex Historia mea Cometarum cuilibet patebit. Anno enim post natum Christum 837, ad annum 840, tres; (2) ab anno 1312 ad 1315, quatuor; (3) ab anno 1337 ad annum 1340, tres vel quatuor; (4) ab anno 1399, ad annum 1403, quinque; (5) ab anno 1531 ad annum 1533 tres; & (6) ab anno 1556, ad annum 1560 rursus quinque in mundi conspectum venerunt. Inter quos haud pauci horrenda & terribili specie, nec non cauda longissima & lucida extiterunt. Inprimis de Cometa Anni 1401 diversissimi Auctores, utpote Lavatherus, Rockenbachius, Eckstormius, Ursinius & Büntingus referunt, quod fuerit magnus, horrendus, lucidus & clarus; cauda expansa, simili pavonis, comam erectam explicans, ignis flammantis specie, non secus ac hastam radios *jaculans*; quodque Sole infra Hori-

Horizontem demerso propriis radiis effusis, omnes orbis terminos collustrarit, nec aliis Stellis lumen exserere concesserit, aut aerem noctis umbra infuscari: quod ejus lumen aliorum splendorem vinceret, & ad cœli verticem flammam protenderet, quamdiu supra Horizontem exstabat. Sic ut certissimum sit, & alio tempore *tres & quatuor* Cometas altero statim anno se invicem subsequutos esse, aliudque seculum alio, Cometarum multo fuisse parcius. Nam plerumque post natum Christum, uno Seculo (si tantummodo omnes & singuli ab Auctoribus fuerint annotati) tantum 10, 12, vel 13 extiterunt; nisi quod seculum 13 & 14, Cometas 20 exhibuerit. Hucusque tamen omnium præcedentium seculorum nullum plures, quam proxime præcedens, 15 scilicet seculum, produxit stellas crinitas: quippe in quo 40 Cometæ annotati sunt a fidissimis Auctoribus. Hocce vero seculum currens 16, hucusque ad mensem Octobr. anni 1683 currentis, tantummodo adhuc 15 sidera comata nobis in conspectum dedit. Interea tamen hocce seculo inprimis bene notandum est, *quod intra spatium* unius solummodo anni, quatuor bene conspicui, utpote Anno 1618 (uti tam ex nostra, quam aliorum patet Cometarum historia) apparuerint *Cometæ*; id quod nullo alio seculo unquam extitisse legi.

Sed ut ad nostrum Cometam redeam, atque referam, qua occasione, quo tempore, & ubinam primum a me visus, atque observatus sit; scias, mi Amice: postquam triplicem illam conjunctionem magnam superiorum Planetarum satis frequenter, ad Junium usque, cœlo annuente observassem, accidit ut continuæ pluviæ diesque nubilosi in mensem usque Julium obstiterint, quo minus cœlum rite intueri sæpius potuerim. Die vero 30 Julii aere rursus depurgato, cum speculam ascendissem, atque stellam novam in Collo Ceti quærerem, postmodum etiam faciem ad Aquilonem converterem, ex insperato obtigit mihi nihil tale quid exspectanti, ut hora vesp. 11. 30' circiter phænomenum aliquod, eo quidem in cœli loco, ubi nullæ stellulæ valde conspicuæ existunt, nimirum in novo nostro sidere, Tigride vel Lynce, quod inter Ursam majorem, Geminos, & Aurigam situm est, & cujus maxima pars in Cancro conspicitur, eo in loco inquam Sidus crinitum hic Gedani deprehenderem, caudam haud adeo longam, inter Stellam Polarem, & Cassiopæam sursum cum aliqua inclinatione exporrigens. Constituebat *lineam* rectam cum suprema Capitis Auri-

gæ, & dextro humero Perſei, non minus cum ventre Urſæ majoris, & dextro humero Aurigæ; item cum media Caudæ & latere Urſæ majoris. Deinde Tubo 10 pedum arrepto, iſtud phænomenum contemplatus ſum. Caput quidem ſatis amplum, ſed materia non admodum condenſata erat, ſic ut nullus lucidus nucleus, neque diſtincta corpuſcula, ut quidem alias in *plurimis aliis* deprehenſum eſt, in eo apparerent. Verſabatur eo ipſo tempore inter tres ſtellulas (ſed Teleſcopio tantum viſibiles,) quæ vix 20 ab invicem removebantur minutis, atque triangulum fere æquilaterum conſtituebant. His annotatis, ſextante diverſas diſtantias iſtius novi Cometæ dimenſus ſum: utpote a lucido latere Perſei, a latere Urſæ majoris, & ab humero Urſæ minoris. Hora 12 fere altitudo ejus erat 19°. 57′: quantæ autem revera extiterint illæ diſtantiæ, hic nimis longum foret recenſere, cum animus tantummodo ſit hac vice breviorem ac generalem hiſtoriolam Aſtrophilis tradere. Reliqua enim omnia, ut & inter quas ſtellulas ſingulis diebus viſus fuerit, in continuatione mearum obſervationum brevi edenda referentur.

Die ſubſequente Saturni, 31 Julii veſp. ab iisdem ſtellis fixis Cometa debite eſt obſervatus, altus cum eſſet hora ſc. 12. 30′, 21°. 28′, qui cum pede Aurigæ & Capella rectam conſtituebat. Cauda erat dilutiſſima ac rarior, quam die heſterna, ſed paulo longior.

Die Solis, 1 Auguſti veſp. hora 11. 30′, Cometa quidem per dehiſcentes nubes Tubo detectus, ſed ob vapores denſiores Inſtrumentis minime obſervatus eſt.

Die Mercurii vero 4 Auguſti mane, rurſus Cometam a *Capella*, a lucido latere Perſei, a latere Urſæ majoris, & ab humero Urſæ *minoris* dimenſus ſum; cui 4 ſtellulæ, nudo oculo inviſibiles, *adſtabant*. Removebatur eo tempore tanto ſpatio a dextro humero *Aurigæ*, quanto alias diſtat dictus humerus a capite Hædi. *Cæterum* ſiniſtra Tibia Perſei, Capella, & Cometa rectam referebant. *Hac* nocte hora fere 2, hoc inprimis notandum occurrit, quod *Venus* a ſtella fixa 3 magnitudinis, a Ventre ſcilicet Pollucis, non *niſi* 16′ removeretur Auſtrum verſus, id quod ex Micrometro *accurate* comperi.

Die 5, 6, mane, item die 11, 12, 14, & 15 *veſp.* ob Lunæ ſplendorem, nubes, atque vapores non niſi Teleſcopio Cometa obſervatus eſt, accurate tamen omni tempore deline*atus*, quibus ſtellulis eſſet circum-

cumdatus, & quanto ſpacio ab hac vel illa diſtaret: adeo ut locum *Phænomeni* nihilominus ex parte cognoſcere potuerim. Cauda vero vix ac ne vix amplius ſub adſpectum veniebat.

Die Lunæ, 16 Auguſti veſp. hor. fere 11, Cometa inter quatuor ſtellulas rurſus verſabatur, quarum una a parte Cometæ ſuperiori, in ipſa conjunctione *non niſi* 1′ *diſtabat*; adeo arcte limbo adhærebat: quo tempore ſimul diametrum Cometæ micrometro meo dimenſus ſum, nimirum 6′.5″ exiſtentem: inprimis, ut ſucceſſu temporis cognoſcerem, an creſceret, an vero decreſceret? Qua etiam die rurſus diſtantias a Lucida, & ſequente in pede ſiniſtro, nec non a lucido latere Perſei, item a latere Urſæ majoris feliciter impetravi.

Die Mercurii, 18 Auguſti veſp. eædem diſtantiæ ſextante obſervatæ ſunt a Cometa, qui breviſſimam ac rariſſimam caudam inter Capellam, & caput Hædi exporrigebat.

Die Veneris, 20 Auguſti veſp. ex voto iterum diverſiſſimas diſtantias Cometæ a fixis obtinui. *Inprimis* jucundiſſimum erat, Cometam contemplari inter plurimas, ac lucidiſſimas fixas. Nam utrique hædo erat viciniſſimus, ita ut cum his triangulum fere æquilaterum conſtitueret, cujus latera fere diſtantiam hædorum (quæ eſt 47′ circiter) æquabant. Adhæc Cometa cum Capella & illa in planta dextri pedis Perſei, triangulum æquilaterum, cujus baſis erat diſtantia dictarum fixarum, exhibebat.

Die Martis, 24 Auguſti veſp. capta eſt diſtantia Cometæ a dextro humero Aurigæ, ab Alamac, a lucida in ſiniſtro pede Perſei, & a lucida Tauri: verſabatur inter Capellam & Plejadas, ſic ut a Capella & Plejadibus in eadem fere remotione videretur. Deinde Capella, Cometa, & Plejades; item Alamac, caput Meduſæ, & Cometa; nec non dexter humerus Aurigæ, Cometa, & ſequens ſiniſtri pedis Perſei lineam fere rectam conſtituebant: in hac tamen ultima conſtitutione Cometa paulo infra rectam incedebat.

Die Mercurii, 25 Aug. veſp. eædem antecedentes diſtantiæ obſervatæ ſunt, Cometa exiſtente cum Capella & Capite Hædi in eadem recta.

Die Solis, 29 Auguſti mane, (noctes enim antecedentes erant prorſus nubiloſæ) denuo Cometam contemplatus ſum in ſitu perquam notabili, prope Plejades, ſic ut hora 1.5′ plurimis minutiſſimis & clariſſimis fixis ſtipatus eſſet, nempe *Stellis Subjeſzanis*, atque a Cuſpide

ſpide occidentali Plejadum ſurſum verſus, non niſi 42′. 35″ removeretur. Obſervatus inſuper eſt eodem tempore a dextro humero Aurigæ, a lucida Arietis, a lucido latere Perſei, & a Capella.

Eadem die veſperi, 29 ſc. Auguſti, ab iisdem ſtellis Cometa deprehenſus eſt, ſed longe jam promotior contra ſeriem Signorum; ſpatio ſc. 24 fere horarum ad quatuor fere reperiebatur gradus.

Die 30 Auguſti, die Lunæ veſp. Cometa a ſtellula quadam bene conſpicua non niſi 32′. 41″ aberat; & cum Muſca & in Baſi Trianguli, deinde etiam cum præcedente in Pede, et illa in genu Perſei lineam conſtituebat rectam. Adhæc a plurimis fixis Sextante quoque obſervatus eſt.

Die Jovis, 2 Sept. mane, Cometa inter Plejadas & Nodum Lini verſabatur, conſtituens lineam rectam cum Muſca & Lucida Mandib. ceti; & cum infima in armo Tauri, & Mandibula triangulum fere æquicrurum, cujus vertex dicta erat Mandibula. Præterea quoque lineam referebat rectam cum duabus in fronte Ceti, tantoque fere ſpatio ab occidentaliori diſtabat, quanto alias utraque ab invicem removentur. Prout ex obſervatis diſtantiis Sextante captis clarius patebit.

Hac die iterum diametrum Capitis Cometæ Micrometro diligenter dimenſus ſum, ut rite explorarem, an diameter ejusdem adhuc eſſet magnitudinis, an creſceret, an vero decreſceret? Erat autem Cometæ diameter die 16 Auguſti eodem Micrometro obtenta, tantummodo 6′. 5″; hodie vero jam 9′. 7″; ſic ut notabiliter in ſpatio 17 dierum creverit. Nonnemo diceret id factum eſſe, quod in ultima obſervatione vicinior multo fuerit Terræ; atque ideo clarius & lucidius caput exhibere debuerit: præſertim ſi corpus eſſet æternum (ut quidam ſtatuunt) quod rurſus certo tempore, abſoluto ſuo circulo, nobis in conſpectum redit. Sed e contrario caput longe obtuſius, rariusque ultimo extitit, ſic ut diſtinctiſſime notare potuerimus, materiam capitis ſenſim ſeſe diſſolvere: id quod autem multo melius cum noſtra convenit hypotheſi.

Ultimo, die Saturni, 4 Septembr. mane, ex voto Cometam obſervavi. Videbatur in linea exiſtere recta cum illa in fronte occid. Ceti & lucida *Arietis*, item cum illa in ore & *Mandibula* Ceti: adhæc fere triangulum æquilaterum cum illa in ore, & ad Genam Ceti conſtitue-

stituebat. De cætero autem exoptato mihi extitit, quod non solum sufficientes distantias pro vero loco ex calculo eruendo, sed etiam Cometæ altitudinem meridianam in Austro, exactissimo Quadrante hora videlicet matutina 3. 40′ fere, nimirum 30°. 15′ impetraverim.

Posthæc, diebus subsequentibus, quoties cœlum tantummodo annuit, sedulo quidem *illum quæsivi*, sed ob *Lunæ* vicinitatem, ejusq; splendorem, vaporesque circa Horizontem crebriores, haud illum amplius deprehendere potui; utut ad 12 Septembr. supra nostrum Horizontem adhuc extiterit: prout ex subsequente Tabella ejusque motu diurno liquidum est.

Ultimo, mi Astrophile, etiamsi graviora studia, quibus quotidie occupatus sum, haud concesserint universas meas hujus Cometæ observationes calculo subjicere, nihilominus, quantum fieri licuit, rudiori Minerva Tibi sub adspectum ponam, quo loco, secundum longitudinem & latitudinem in quavis observatione & die extiterit, & qua ratione motus ejus diurnus contra seriem signorum creverit; nec non ad certos dies quanta fuerit Cometæ declinatio & Asc. Recta.

TABULA,

Cometæ Anni 1683 Longitudinem, Latitudinem, Motum diurnum, Declinationem, & Ascensionem Rectam, a Die 30 Julii, ad 4 Septembr. exhibens.

Mens.	Dies.	Longitudo. °	′	S.	Latitudo. °	′	Mot.diur. °	′	Declinat. °	′	Ascens.rect. °	′
Julii	30	7	0	♋	29	15 B.			51	30 B.	100	0
	31	6	25		29	0	0	42				
August.	1	5	45		28	45	0	44				
	2	5	0		28	30	0	46				
	3	4	10		28	15	0	48				
	4	3	20		28	0	0	50	51	40 B.	96	0
August.	5	2	20	♋	27	45 B.	0	52				
	6	1	20		27	30	0	54				
	7	0	20		27	15	0	56				
	8	29	20	♊	27	0	0	58				

Mens. Dies	Longitudo. ° ′ S.	Latitudo. ° ′ B/A	Mot. diur. ° ′	Declinat. ° ′	Ascens. rect. ° ′
August. 9	28 20 ♊	26 40 B.	1 0		
10	27 20	26 20	1 2		
11	26 20	25 55	1 4		
12	25 20	25 30	1 6		
August. 13	24 20 ♊	25 0 B.	1 8		
14	23 20	24 30	1 10		
15	22 20	24 0	1 12		
16	21 10	23 20	1 14	46 0 B.	77 0
August. 17	19 20 ♊	22 30 B.	1 19		
18	17 40	21 30	1 25	44 0 B.	73 30
19	16 0	20 30	1 35		
20	14 20	19 15	1 45	41 0	69 30
August. 21	12 20 ♊	18 0 B.	1 55		
22	10 20	16 45	2 5		
23	8 20	15 30	2 15		
24	6 20	14 15	2 25	35 0	60 40
August. 25	3 50 ♊	12 45 B.	2 40		
26	1 5	11 0	2 55		
27	28 15 ♉	9 0	3 10		
28	25 15	6 30	3 25	24 30	51 0
29	22 15 ♉	4 0 B.	3 40	21 30	48 30
30	18 55	1 30	3 55	18 0	45 40
31	16 25	1 0 A.	4 5		
Sept. 1	12 55	3 30	4 20		
2	9 55 ♉	6 0 A.	4 40	10 30	40 0
3	6 25	8 40	5 5		
4	2 35	11 20 A.	5 30	1 30 B.	34 0

Ex quibus nunc luculenter videre est, Cometam hunc continue contra seriem signorum incessisse, ex Lynce videlicet seu Tigride (quod sidus

sidus ego primum cum aliis 10, in novos meos transtuli Globos) per Aurigam, Taurum, ad Caput usque Ceti; hoc est ex 7° Cancri (ubi 30 Augusti primum a nobis visus) per Geminos, ad 3° Tauri usq;; sic ut in Ecliptica 63°. 55', in sua vero orbita 74. 35', (nimirum a 30 Julii, ad 4 Sept.) peragraverit: Sub angulo videlicet orbitæ & Eclipticæ 39 fere graduum; *sub angulo vero orbitæ & Æqvatoris* 56°. Latitudo initio 29°. 15' *Borealis*, & ultimo 11°. 20' *Australis* extitit; adeo ut ad 41° fere gradus eam variaverit. Si Luna non fuisset pernox, nec adeo ei vicina ultimo, tum noctes extitissent serenæ, profecto adhuc diutius, nempe ad 12 Sept. usque illum observassem: prout ex ejus Altitudine meridiana, motuque diurno, quem in ultima observatione exercuit, satis superque patet.

De Capite hoc notandum habeo, quod initio, quoad Diametrum, longe minus quam ultimo, e contrario initio longe lucidius, quam circa finem extiterit: nullos tamen distinctos & fulgentes nucleos, prout in plurimis videre nobis obtingit, exhibuerit; sed confusam materiam, & circa finem multo tenuiorem. Jure hic Cometa (cum plerumque absque omni cauda visus sit) inter sidera comata, vel crinita, *sive inter Barbata & Hircos refertur.* Nam non nisi ad 18 August. brevissimam & dilutissimam caudam sursum versus exporrigebat; quæ postmodum vero omnino evanuit.

Quibus ut quam diutissime valeas, Amice plurimum Honorande, animitus precor: nihil potius exoptans, quam ut per graviora quædam studia, pro meo modulo a DEO concesso, in Astronomiæ commodum ac incrementum, Astrophilis inservire possim. Dabam Gedani Anno a nato Christo 1683 st. n. ipso die Æquinoctii Autumnalis, Sole existente in Meridie alto 35°. 27' Quadr. parvo Orich.

Tuus

ex animo

J. Hevelius.

DE L' AME DES PLANTES, ESSAY DE *Physique, par M. Dedu, Docteur en Medecine, &c.*

i. e.

De Anima Plantarum Tentamen Physicum Dn. Dedu.

Parisiis, in 12. 1682. apud Steph. Michallet.

INter varia Philosophiæ Naturalis incrementa, quæ seculo huic, ejusque quadræ præsenti, seu ultimæ, illa debet, Phythologiæ Anatomica æque ac Physiologica experimenta, diversorumque Virorum Clarissimorum, v. g. *Grewi, Malpighii, Mariotti, Perault*, *Dodarti*, &c. meditationes ingeniosæ observantur: quibus non sine ratione præsentis opusculi tenorem, Animæ Vegetativæ principaliores functiones complectentem annumeramus.

Scilicet *primo*, ortum Plantarum expositurus illius Autor, quædam de Alcali & Acidi natura horumque actione reciproca præmonet, hinc Malpighii hypothesin, Plantam non nisi ex semine gigni, suam facit; illam autem ejus sententiam, qua semen vegetabilis ovum, hujusque capsulas ovaria pronunciat, adeoque simili ratione, ac animalia, ex ovulis plantas produci autumat, haud amplectitur: vegetationis autorem potius externum, quid concipiens, Acidum scilicet partim cum aere, partim cum pluviis, decidens terramque subiens, a radiis solaribus exagitatum ac cum Alcali terræ fermentescens: cujus fermentationis occasione minima illius Acidi multa seminis grana penetrent, hujus particulas sensim & aliquantum divellant; acidum vero semini connatum & intrinsecum dum simul in motum abripiant, motu hoc intestino crassiora grani involucra rumpant, ejusque compagem laxiorem reddant. Quoniam autem cum aliis Neotericis totum Plantæ corpus hujusque partes cuilibet semini *actu* subesse, exemplo bulbi Tulipæ evincit: infert, illam non tam ex semine formari, quam huic inexistere, & per vegetativam illam particularum exagitationem seu turgescentiam, tantum evolvi ac explicari. Atque hac occasione disquirit, cur non omnis ferat omnem plantam tellus? & qua ratione ex fimo terra fertilescat? prioris phænomeni ætiologiam per aci-

acidi terrei incongruitatem, posterioris per Salis volatilis stercorum activitatem determinans.

Deinde, ubi ad Nutritionem vegetabilium se convertit Autor, in Terræ sinu succorum mineralium ubertatem supponit, qui sub exhalationum forma illorum radices, hinc caules, subintrent, accedente insimul per caulium poros succo magis aereo: per quorum cum spiritu architectonico interno mutuam fermentationem atque combinationem, appropriatum iis præparetur nutrimentum, circulationibus a summo ad imum repetitis magis exaltandum. Similiter enim, ac in animalibus, succum nutritium & hic circulari, argumentis atque experimentis nonnullis evincit, simulque, quæ hypothesi huic aliquam difficultatem parere poterant, dubia declinat: hac tamen sub disparitate, ut, cum primus in animalibus circulationis autor intrinsecus, nempe cor, existat, vegetabilibus extrinsecus magis videatur. Quem quidem non aeris, juxta *Malpighium*, respirando ingesti elaterem, nec secundum *Perrault*, ambientis pressuram tradit: sed terram potius, a fermentationibus intrinsecis rarefactam, & distensam, postmodum denuo subsidentem, caulem per intervalla comprimere, adeoque hujus alimoniam per truncum ad superiora urgere, suspicatur, pari circiter modo, ac musculi abdominis intestina comprimentes, chylum per totum corpus dispensandum vasis lacteis impellant. Ubi simul, quomodo exile terræ spatium diversas plantarum species enutriat? item cur hic vel ille flos prope aliam plantam optime floreat, prope alteram marcescat, declarat, Peripateticorum vero facultatem attractricem, retentricem &c. quas fibris determinatis tribuunt, irridet.

Tandem rationem accretionis plantarum exponit, & de fructuum productione horumque statu triplici, tam ex hypothesi Philosophorum corpuscularium, quam Chymicorum disserit: cur & quomodo arbores hyeme languescant & exsuccæ sint, vere revirescant, & in quo illarum vivacitas, in annos sæpe adeo multos, consistat, rimatur: denique vero, utut ad prodigiosam sæpe molem & proceritatem evehantur, haud tamen in infinitum eas crescere, sed tandem diversis modis corruptioni & morti subjici, concludit.

HISTORIA CONCILIORUM GENERALIUM, *in quatuor Libros distributa, auctore Magistro Edmundo Richerio, Doctore ac Socio Sorbonico.*

Coloniæ, 1683. in 8.

QVinquaginta elapsi sunt anni, ex quo diem suum obiit Edmundus Richerius Presbyter Lingonensis & Facultatis Parisiensis Doctor Theologus, qui præter obstetricem animorum, de optimo Academiæ statu libros duos, notas ad Tertullianum de Pallio, libellum de arte figurarum & causis eloquentiæ, item de arte & causis Rhetoricæ, ac alia ingenii sui monumenta, tractatum de Politica & Ecclesiastica potestate edidit, cujus hæc est summa ipsi titulo præfixa: *Ecclesia est politia monarchica ad finem supernaturalem instituta, regimine aristocratico, quod omnium optimum & naturæ convenientissimum est, temperata a summo animarum Pastore Domino nostro Jesu Christo.* Hujus libri primum sine Autoris nomine impressi parentem cum se professus fuisset Richerius, Monarchiæ Pontificiæ patronos haud mediocriter offendit. Inventi quippe, qui non solum diatriben hanc de politica & ecclesiastica potestate confutandam susciperent, quos inter Andreas Duvallius Doctor Sorbonicus & Regius Theologiæ in Universitate Parisiensi Professor primarius extitit, verum etiam coactis synodis damnarent atque proscriberent, quod Anno Christi 1612 mense Martio Parisiis in congregatione, quam Jacobus Cardinalis Perronius Archiepiscopus Senonensis cum septem suis Suffraganeis habuit, & paulo post mense Majo in simili congregatione Aquensis provinciæ contigit, & inter libros publica autoritate prohibitos referrent, quod adhuc nuperrime in indice librorum prohibitorum jussu Innocentii XI Romæ publicato his verbis factum legimus: *Edmundi Richerii opera. Cujus est etiam liber anonymus prohibitus & qui denuo prohibetur, inscriptus de ecclesiastica & politica potestate liber unus, &c.* Quamvis autem Richerius, quem regia autoritate a facultatis suæ syndicatu depositum perhibent, tandem omnes libelli sui propositiones earumque expositiones Romanæ ecclesiæ judicio, ut fertur, subjecerit, & hæc declaratio apud Eminent. Card. Richelium 1629 renovata & extremo spiritu apud Confessorem confirmata, & ab hoc Archiepiscopi Parisiensis jussu vulgata fuerit, relicta tamen ab eo conciliorum

rum generalium historia, ut libelli de politica & ecclesiastica potestate defensionem, quam in hac conciliorum historia sæpius allegat, taceamus, satis indicat, quod sententiam suam de regimine Ecclesiastico absolutæ monarchiæ oppositam serio & ex animo nunquam retractaverit. Cum enim in libello de Ecclesiastica & Politica potestate docuisset, *concilium esse supra Papam*; *Ecclesiam canone, non absoluta potestate, regi oportere*; atque politicos Principes, tanquam juris Divini, Naturalis & Canonici vindices & executores, autoritate gladii in omnes cives, ambitu & finibus reipublicæ contentos, pollere; hocque jure & titulo Constantinum Magnum, atque alios Imperatores Christianos, velut communes Episcopos & exterioris disciplinæ assertores octo prima Concilia Universalia, pro juris Divini, Naturalis & Canonici vindiciis indixisse & congregasse: & hæc a Card. Perronio, Roberto Hubaldino Nuncio Apostolico, Henrico Gondio Parisiensi episcopo eorumque asseclis, non aliter quam erronea, impia, hæretica & seditiosa judicari intelligeret, accuratius ea, quæ de conciliis breviter attigerat, tractare animum induxit.

Quatuor autem libris hæc generalium Conciliorum historia absolvitur: quorum primus jam ante triennium seorsim vulgatus post generalia fundamenta, e quibus cap. 1 Ecclesiæ regimen non pure monarchicum, sed aristocratico temperamento mitigatum esse probat, de concilio Niceno, Sardicensi, Antiocheno, Constantinopolitano I, Carthaginensi VI, Ephesino, Chalcedonensi, Constantinopolitano II & III, Niceno II & Constantinopolitano IV, totidem capitibus agit; in quorum conciliorum historia Autor ita versatur, ut ea potissimum, quæ suis hypothesibus probandis inserviunt, seligat & contra Baronii, Bellarmini, Perronii, Possevini, Binii, Vallii & aliorum, qui conciliorum autoritatem a Pontificis R. nutu dependere asserunt, objectiones & exceptiones tueatur. Ostendit igitur, Niceni & reliquorum, quæ modo nominavimus, conciliorum indictionem, supremam directionem & confirmationem, perperam Romanis episcopis ascribi, cum Constantinum M. Constantem & Constantium, utrumque Theodosium & Valentinianum, Martianum, Justinianum, Constantinum Pogonatum, Constantinum VI, & Basilium Imperatores hæc concilia convocasse iisque cum jurisdictione præfuisse constet; monarchicum P. R. imperium canonibus Nicenis, Antiochenis,

Con-

Constantinopolitanis & Chalcedonensibus explodi; *Sardicenses* canones, e quibus jus appellandi Romanam sedem Papalis monarchiæ patroni probare annituntur, temporarios & provisorios fuisse, & Zosimum ejusque successores, qui eos pro Nicenis venditarunt, falsi crimine teneri; Antonii Fussalensis exemplum, ex quo Bellarminus & Baronius evincere conantur, quod Episcopi Romani non obstantibus concilii Carthaginensis, quod sextum appellatur, decretis Afrorum causas cognoscere eorumque appellationes suscipere non destiterint, non ad quæstionem juris, sed ad viam facti pertinere, & silentio potius obrui quam allegari debuisse; Episcopos Romanos privilegia sedi Romanæ non jure divino, sed ob urbis & imperii majestatem concessa, & potestatem jure extraordinario & in casu necessitatis quandoque permissam, præter fas & contra jus commune ad opprimendam Ecclesiæ libertatem ampliasse; acta concilii Ephesini a Peltano edita magis consentire moribus & disciplinæ illorum temporum quam Romana, e quibus pro regimine Ecclesiæ Monarchico nonnulla afferri soleant; Vallium & Bellarminum acta concilii Chalcedonensis corrumpentes in legem Corneliam impegisse; falsum esse quod Patres hujus concilii Petrum crepidinem & fundamentum Ecclesiæ, aut Leonem Episcopum universalem & caput universalis Ecclesiæ appellaverint, cum istud tantum a legatis Leonis, meras ampullas projicientibus, & clericis quibusdam Alexandrinis privato ausu factum fuerit; Patres quintæ synodi generalis minime putasse, Papam esse infallibilem Ecclesiæ monarcham, aut a solo Papa autoritatem celebrandorum conciliorum generalium dependere; Justinianum Imperatorem in edicto adversus tria capitula non obscure significare, infallibilem decernendi facultatem *non uni* sed unitati datam; non deesse causas dubitandi, an epistola *Justiniani* ad Johannem II, qua declarat Romanum Pontificem *esse* caput omnium Ecclesiarum, genuina sit, quamvis id Cujacius *asserat*, & istius epistolæ, si vel maxime genuina sit, hunc esse sensum, *quod* Imperator controversiam, quæ tum Romanos episcopos cum Constantinopolitanis committebat, tollere voluerit, & hoc ad *declarationem* potius quam novi juris institutionem pertinere, cum *primatus*, quam distinctionem Autor in hoc opere frequenter *repetit*, quoad essentiam juris divini sit, sed quoad usum, extensionem, exercitium & administrationem

tionem juris humani ab Ecclesia limitandi; in sexta synodo generali Agathonem Pont. Rom. ad imitationem Gregorii, qui se Imperatoris servum jure reipublicæ vocaverat, Imperatorem pro Domino suo agnoscere; Honorium fuisse Monotheletam; curiam Romanam, contra praxin veteris Ecclesiæ, potestatem capitales pœnas hæreticis infligendi sibi vindicare; *in concilio Niceno II* non *solam Romanam sedem*, sed alias etiam *patriarchales*, *apostolicas vocari*; synodi octavæ generalis examini, Nicolai Pont. Rom. judicium subjectum fuisse: ut reliqua, quæ e singulis his conciliis contra absolutam curiæ Romanæ monarchiam colligit, brevitatis studio sileamus. Tandem ultimo capite dictorum compendium, & simul gradum ad reserandam politiæ Ecclesiasticæ inclinationem, quæ post decimum a Christo nato seculum contigit, facturus, quam diversa hic sit rerum facies ostendit; cum octo generalia concilia ab Imperatoribus tanquam juris naturalis, divini & canonici vindicibus, & publici ordinis assertoribus indicta, directa & confirmata fuerint, illisque *temporibus cæteri patriarchæ* in Metropolitas & *Episcopos suarum* Diœcesium tantumdem juris, quantum Romanus in suos, habuerint, & novem primis seculis *Romanæ Ecclesiæ* nomen non alia notione aut significatione, quam pro particulari Ecclesia & membro universalis Ecclesiæ, a quoquam acceptum fuerit, omniaque aristocratico regimine & jure communi ad normam canonum gubernata & *administrata fuerint*: contra vero post decimum seculum, cum Ecclesia Romana, reliquis patriarchalibus sedibus jam collapsis, non amplius æquabili earum libramento in officio contineretur, Benedictinorum Cluniacensium aliorumque monachorum studio omnia in pejus mutata fuerint, quod autor demonstrat ex 27 dictatibus, ut vocantur, quos Gregorius VII in synodo ex aliquot Italiæ Episcopis & Abbatibus ordinis Benedictini conflata decrevit; a quo tempore absolutum Curiæ Romanæ regimen, omnisque disciplinæ ecclesiasticæ conturbatio, tanta indies incrementa cepit, ut tandem in concilio Constantiensi & Basileensi reformandæ Ecclesiæ ratio inita fuerit, qua de re in sequentibus libris prolixius agitur. Ad quos antequam progrediamur notamus, libro primo formulam jurisjurandi, quo recens creati Pontifices se octo generalibus conciliis obstringunt, ex libro Pontificali, qui diurnus appellatur, excerptam præfigi, & ad calcem appendicem subnecti, in qua argumenta

gumenta, quæ Card. Perronius in responsione ad epistolam Casauboni, nomine Serenissimi Britanniæ Regis editam, ad absolutam Papæ monarchiam propugnandam, e Patrum scriptis inprimis & historia Ecclesiastica consarcinaverat, ad examen revocantur.

Libro secundo Autor, quæ corruptissimæ regiminis Ecclesiastici immutationi remedia adhibita, quo successu tentata & quibus artibus elusa fuerint, exponit. *Exorsus igitur* (c. 1.) a schismate inter Antipapas Romanos & Avenionenses, Urbanum VI & Clementem VII eorumque successores agitato, & pessimo Ecclesiæ statu hinc exorto refert, quanta libertate & solicitudine Magistri Academiæ Parisiensis, (quamvis ea res Johanni Rusio ad tempus in carcerem conjecto, Petro Alliaceno, Ægidio de Campis, & Johanni Gersonio nonnihil periculi creaverit) teterrimum hoc ulcus & tangere ausi, & sanare conati fuerint, nunc modo nominatum Gersonem ad Benedictum XIII Clementis VII successorem ablegando, nunc seculare Regis sui Caroli VI brachium in subsidium vocando, qui post crebras legationes & irritam Avenionis obsidionem, duobus edictis A. C. 1406 promulgatis, Ecclesiæ Gallicanæ libertatem ab intolerabilibus Romanæ curiæ exactionibus vindicavit, & cæteros Christianos Principes per literas excitavit, ut exemplo suo neutralitatem amplexi, utrique Pontificum de primatu inter se contendentium obedientiam subtraherent, donec non amplius clamor crudelis fœminæ infantem in duas partes dissecari cupientis, sed vox piæ matris infantem integrum servari malentis audiretur. Quibus regiis edictis atque literis, variæ Doctorum in diversis Europæ Academiis de potestate Papæ & concilii sententiæ, inprimis ex Gersonis tractatu de auferibilitate Papæ & aliis opusculis excerptæ subnectuntur. His ita prælibatis Richerius (c. 2.) ad concilium Pisanum, quod Christianissimi Regis assiduis obtestationibus fatigati tandem Avenionensis curiæ Cardinales, consentientibus Romanis, indixerunt, progreditur, & Synodi hujus A. C. 1409 a 180 Archiepiscopis & Episcopis, 300 circiter Abbatibus, totidem Juris Canonici ac Civilis Doctoribus, plurimis Theologiæ Magistris, Academiarum Procuratoribus & Principum Legatis frequentatæ acta, cum ea in Suriana, Biniana, (quod de prima editione intelligendum est) ac Romana conciliorum collectione prætermissa animadvertisset, ferme integra exscribit. Inter Theologiæ Magistros, qui huic concilio interfuerunt, fuit Petrus

Pla-

Plaoul, Episcopus postea Sylvanectensis & Collegii Sorbonici Provisor, qui d. 29 Maji sessioni decimæ tertiæ destinata, pulpitum ascendit, & ad illa Hoseæ verba cap. I. vers. ult. *congregabuntur filii Juda & filii Israel pariter & ponent sibi caput unum*, de ecclesiæ supra Papam eminentia juxta omnes causas disseruit, & suam sententiam publica Universitatis Parisiensis, Andegavensis, Aurelianensis, & Tolosanæ autoritate comprobavit. Quo descendente alius quidam Episcopus Italicus, centum & trium Theologiæ Magistrorum, & plurium Licentiatorum & Baccalaureorum, & Universitatis Bononiensis opinionem, Parisiensi Academiæ conformem, publice prælegit. Reliquarum sessionum acta singula repetere nec instituti patitur ratio, nec operæ pretium videtur. Summa huc redit, quod Petro de Luna, qui Benedicti XIII nomen sibi asciverat, & Angelo Corario seu Gregorio XII post multas citationes papali dignitate privatis, & Petro Philareto de Candia, qui se Alexandrum V appellari voluit, ad Pontificatum Romanum electo, inter alia decretum fuerit, ut Pisano concilio interim quasi suspenso, post triennium seu A.C. 412 pro continuanda Ecclesiæ reformatione novum generale concilium idoneo loco conveniret. Sed hoc postea anno demum 414 Constantiæ contigit, cum jam Alexandro V, qui religiosis mendicantibus immensa privilegia, a Cancellario Parisiensi Johanne Gersone non sine gravibus querelis improbata impertiverat, & judices nonnullos Apostolicos, Caroli VI edicto rejectos & eliminatos, ad convellendas Ecclesiæ Gallicanæ libertates in Franciam miserat, universæ carnis viam ingresso, Johannes XXIII successisset, quem Richerius Academiam & Curiam Parisiensem multis gratiis, expectativis aliisque privilegiis demereri conatum, de Ecclesiæ corio lusisse profitetur.

Sequitur ergo (cap. 3. & ult.) historia concilii Constantiensis, in qua id inprimis Autor agit, ut decreta quartæ & quintæ sessionis, quibus sancitum fuit, quod concilium generale catholicam ecclesiam repræsentans potestatem immediate a Christo habeat, cui quilibet cujuscunque status vel dignitatis, etiam Papalis, in causis fidei vel exstirpandi schismatis, & reformandæ ecclesiæ obedire teneatur, legitime condita, & quoad praxin ipsius concilii Constantiensis tredecim præjudiciis confirmata fuisse, ex actorum serie demonstret, eorumque autoritatem contra Bellarmini, Cajetani, Vallii aliorumque ob-

jectiones tueatur. Quod dum facit, etiam reliqua hujus concilii gesta vel breviter indicat, vel paulo fusius exponit. Quo pertinet patrum in certas nationes distributio, eo fine facta, ne Italica ob Episcoporum multitudinem cæteras suffragiis vinceret, & ecclesiæ reformationem in capite & membris impediret; item juramentum, quo Johannes XXIII papatu, *si pax Ecclesiæ id exigeret, se cessurum* solenniter spopondit, ut cætera taceamus. In ejusdem concilii historia, sententiæ de tyrannicidio licito, a Johanne Parvo cædem Ducis Aurelianensis propugnante propositæ, condemnatio, contra Marianæ cavillationes a Richerio defenditur, & Bellarminus, qui ex monitorio adversus comitem Astensem, clericos Principum legibus non subesse contra Barclajum perperam colligit, refutatur. Inserti quoque actis hujus concilii, Apostoli & responsio apologetica nationis Gallicanæ de annatis non solvendis, minus recte Nicolao de Clemangis attributa, quam jam ante centum annos Parisiis editam, & postea ab Orthuino Gratio rerum expetendarum fasciculo insertam, a pluribus mendis repurgare, & in hac generalium conciliorum historia integritati suæ restituere, Richerio placuit. In actis ultimæ sessionis occurrit censura libri a Johanne Falckenbergio conscripti, qui ut publico Synodi decreto condemnaretur, cum jam per deputatos in causa fidei, & per quinque concilii nationes, & per collegium Cardinalium damnatus fuisset, Regis Poloniæ & Ducis Lituaniæ oratores interposita, ni id fieret, protestatione & appellatione ad futurum concilium postularunt. Suspicatur autem Richerius, librum illum Falckenbergii propositiones quasdam de potestate Papæ in abdicandis & interficiendis Regibus continuisse, quam conjecturam ex Gersonis Dialogo apologetico pro actis synodi Constantiensis firmare satagit. Quod si quis contra Polonorum provocationem ad futurum concilium excipiat, Martinum V, qui Johanni XXIII post fugam exautorato, in concilio Constantiensi surrogatus fuerat, constitutionem contra appellationes a Papa ad concilium edidisse, respondet Richerius, *hæc ad viam facti & ad absolutam Papæ monarchiam pertinere, quam Ecclesia non agnoscat, cum juri Divino, naturali & canonico penitus repugnet.* Ultimo loco Richerius refert, Martinum V aliquos judices & nuncios Apostolicos in Franciam, imperante jam Carolo VII misisse, ut jus commune & libertates Ecclesiæ Gallicæ perfringerent, qui cum

passim assererent, sententiam Pastoris etiam injustam timendam & tenendam esse, Cancellarius Parisiensis sæpe jam nominatus assertionem illam peculiari opusculo discussit. Sed nihilominus Martinus V haud quievit, donec Carolus VII magnis Curiæ Romanæ pollicitationibus allectus A. C. 1424, d. 10 Febr. contra libertatem Ecclesiæ Gallicanæ edictum promulgaret, quod quo minus in rem judicatam abiret, Magister Petrus Cousinus cognitor Regius generalis obstitit, ut ex actis Parlamenti a Petro Pithæo editis Richerius annotavit. Cæterum his, quæ de Constantiensi concilio Richerius disseruit, plane contraria post alios monarchiæ papalis assertores nuperrime tradidit Emanuel Schelstratenus, cujus sententiam paucis hic referre placet, tertio interim & quarto Richerii libro ad proximas Deo volente calendas reservato.

ACTA CONSTANTIENSIS CONCILII ad expositionem decretorum ejus sessionum quartæ & quintæ facientia, nunc primum ex codicibus MSS. in lucem eruta, ac dissertatione illustrata per D. Emanuelem a Schelstrate S.T.D. Bibliothecæ Vaticanæ præfectum.

Antverpiæ apud Joannem Baptistam Verdussen, 1683. in 4.

Quamvis jam a longo tempore concilii Constantiensis autoritatem, quoad decreta quartæ & quintæ sessionis, de ecclesiæ & conciliorum generalium supra Papam eminentia, Pontifices Romani eorumque defensores infringere conati fuerint, impedire tamen nullatenus potuerunt, quo minus cordatiores Papistæ ea ipsa Constantiensis Synodi decreta, contra prætensam Romani Pontificis infallibilitatem & supremam potestatem, explosis effugiis strenue urgerent. Clerus certe Gallicanus, quod in recenti omnium memoria versatur, superiore anno Parisiis congregatus articulo secundo statuit: *Sic inesse Apostolicæ sedi ac successoribus Christi Vicariis rerum spiritualium plenam potestatem, ut simul valeant atque immota consistant Sanctæ œcumenicæ Synodi Constantiensis a sede Apostolica comprobata ipsoque Romanorum Pontificum ac totius Ecclesiæ usu confirmata, atque ab Ecclesia Gallicana perpetua religione custodita decreta de*

ta de autoritate Conciliorum generalium, quæ sessione quarta & quinta continentur, nec probari a Gallicana Ecclesia, qui eorum decretorum, quasi dubiæ sint autoritatis, ac minus approbata, robur infringant, aut ad solum schismatis tempus Concilii dicta detorqueant.

Ægre id fert Emanuel Schelstratenus, ac ut hoc Cleri Gallicani statutum elidat, primum ex codicibus nonnullis hactenus ineditis acta quædam Constantiensis concilii, quæ ad decreta quartæ & quintæ sessionis explicanda faciunt, excerpit, e quibus postea peculiari dissertatione contra Clerum Gallicanum probare nititur, haud spernendam ac rejiciendam esse eorum sententiam, qui decreta ista Constantiensia indubitatæ autoritatis esse negant, aut ea justo valore ac robore destitui contendunt.

Hoc ut evincat, primo dissertationis capite in tres articulos diviso asserit, primum quartæ sessionis decretum a Patribus concilii Basileensis, quorum jussu Constantiensis synodi decreta A.C. 1442, a duobus Cardinalibus, duobus Episcopis, duobus Theologiæ Doctoribus & Archi-Diacono Zagabiensi compilata sunt, adulteratum fuisse, & has Basileensium corruptelas, non solum in antiquiores Constantiensis concilii editiones, qualis est Hagenoviensis, quæ juxta apographum Basileensis istius codicis, a Johanne Hobero Inderdorffio descriptum & a Matthia Strinbachio notario publico cum authentico exemplari collatum A. C. 1500 prodiit, & Mediolanensis, quæ A. C. 1511 typis Gotardi de Ponte impressa opera Zachariæ Ferrerii Subasiensis Abbatis Vicentini lucem publicam aspexit; verum etiam in recentiores conciliorum collectiones, ne Romana quidem, cui Pauli V bulla autoritatem conciliavit, excepta, emanasse. Refert deinde, decreta quartæ & quintæ sessionis sine debita & sufficienti deliberatione condita fuisse; in quarta sessione, post multas Regis Romanorum & Cardinalium & nationum altercationes, tandem inter omnes Divino Flamine inspirante convenisse, ut capitula a Cardinalibus impugnata, quorum præcipuum fuit reformatio ecclesiæ in capite & membris, omitterentur; ante quintam sessionem, cujus decreta reformationis illius mentionem faciunt, & quoslibet cujuscunque dignitatis, etiam papalis, generalibus conciliis obedire detrectātes pœnitentiæ subjiciunt, Cardinales & oratores Galliæ in camera paramentorum secreto protestatos fuisse, quod non animo consentiendi, sed scandali tantum vitandi causa sessioni huic interfuturi essent; denique si vel maxime de-

me decreta quartæ & quintæ sessionis incorrupta ad nos pervenissent, & post debitam deliberationem nemine reclamante aut protestante condita fuissent, Patres tamen in his sessionibus congregatos sufficienter ecclesiam universalem minime repræsentasse, cum eo tempore Constantiensi concilio *nondum adhæserint*, qui vel Gregorii XII, vel Benedicti XII *partibus addicti fuerant*, adeoque decreta quartæ & quintæ sessionis ab una tantum Johannis XXIII obedientia, & ne ea quidem integra, profecta fuerint.

Capite secundo disquirit Autor, quid Patres Constantienses, inprimis post trium obedientiarum, ut juxta stylum ejus temporis loquitur, unionem de sensu & autoritate decretorum sessione quarta & quinta conditorum tenuerint, & ex actis suis abunde constare existimat, Patres Constantienses aut maximam saltem eorum partem, sacrum scilicet Cardinalium collegium totamque nationem Italicam, nec non Hispanicam & Gallicam, paucis tantum, quorum nulla fuerit habita ratio, exceptis, *post sessionem 38 decretum* quintæ sessionis ita interpretatos fuisse, ut illud non de concilio seorsim sumpto, sed de concilio, cui verus & indubitatus Pontifex adsit, intelligerent; cum contra Regem Romanorum & adhærentes ei nationes, Germanicam & Anglicam, ante omnia de reformatione Ecclesiæ agendum ratas, solenni sua protestatione obtinuerint, ut primum de electione novi Pontificis ageretur. Addit, nationi Germanicæ, cum ægre consensum suum præbuisset, & postulasset, ut statim post electionem Papæ, ante ejusdem coronationem & quamcunque administrationem, reformatio fieret; responsum fuisse, quod Papa electus ligari non possit. Ex quo responso, quod toti orbi catholico hactenus incognitum fuisse fatetur, colligit, decretum quintæ sessionis de Pontifice in casu contumaciæ puniendo, non ad veros & indubitatos, sed tantum ad schismaticos Pontifices spectare. Subjicit quoque nonnulla de articulis reformationis summi Pontificis judicio, ut putat, reservatis, & de professione fidei Pontificibus præscripta, in qua post omnium generalium conciliorum enumerationem, solius Constantiensis concilii mentionem propterea omissam hariolatur, quod Constantiense concilium *sessione 39* ad decreta fidei a se edita Romanos Pontifices adstringere noluerit, antequam ab ipso Pontifice approbata & confirmata forent.

Tertio

Tertio tandem capite decreta quartæ & quintæ sessionis vel eo nomine invalida asserit, quod nec a Patribus Constantiensibus post trium obedientiarum unionem, nec a Martino quinto confirmata fuerint. Id ut probet, adducit iterum nonnulla de 18 articulis ad suscipiendam ecclesiæ reformationem a concilio propositis, item de capitulis reformationis, quæ a Labbeo quondam ex codice Capranicensi edita se nunc e duobus codicibus manuscriptis magis integra in lucem protraxisse asserit, & non ad sessionem 40, ad quam a Labbeo relata fuerant, sed ad 43 sessionem pertinere judicat. Inprimis vero narrat, oratoribus Regis Poloniæ Uladislai, & Ducis Lituaniæ Alexandri, publicam & synodicam libri a Johanne Falckenbergio editi condemnationem urgentibus, autoritate Martini V silentium impositum fuisse, eundemque Martinum in ultima illa sessione omnia Constantiensis concilii in materia fidei decreta confirmasse, & hoc ipso demonstrasse, quod sibi supremum in rebus fidei judicium competeret, omniaque concilii decreta confirmatione sua indigerent. Ne vero admittere cogatur, etiam decreta 4 & 5 sessionis a Martino V confirmata fuisse, ea ad fidem pertinuisse negat, & Martinum V ea decreta minime approbare voluisse exinde satis manifestum putat, quod A.C. 1418 in consistorio publico constitutionem promulgaverit, qua sancit, nulli fas esse a Romano Pontifice appellare, aut ejus judicium in rebus fidei declinare.

Hæc sunt, quæ Schelstratenus de Constantiensi concilio circa decreta 4 & 5 sessionis contra Clerum Gallicanum produxit, quæ si perspicax Lector cum iis, quæ Richerius in historia generalium conciliorum paulo ante memorata de eodem concilio retulit, conferat, utri magis credendum sit, haud difficulter judicabit.

תרגום של דברי הימים

Paraphrasis Chaldaica II libri Chronicorum hactenus inedita & multum desiderata: nunc vero e codice MS. antiquo membranaceo bibliothecæ Rev. Ministerii Erfordiens. A. C. exscripta & juris publici primum facta, cura atque opera Matthiæ Frid. Beckii Conf. & Eccles. Augustanæ Ministri.

Prostat Augustæ Vindelicorum apud Theoph. Gœbelium. Anno 1683. in 4.

Qvod

Quod autor chronici Hebræorum Juchasin non vidit, & ab aliis visum fuisse unquam negavit vir doctissimus *Christoph. Helvicus, cap.II de Paraphrasibus*; id videndum jam orbi erudito exhibuit Autor Clarissimus: Paraphrasin puta Chaldaicam παραλειπομένων seu Chronicorum. Nam cum ante triennium, non sine magnæ industriæ laude *primi libri Chronicorum Paraphrasin* ex memorato codice MSC. satis antiquo emisisset in publicum, spemque simul fecisset, alterum quoque librum edendi propediem, datam hanc fidem suam ipse liberavit. Equidem ante jam *Christianus Ravius* apud Hottingerum in Thesauro Philologico memoravit, in codice quodam Msc. Erpeniano in Anglia Paraphrasin Chaldaicam in libros Chronicorum repertam esse: & *Edmundus Castellus* in præfatione Lexici Heptaglotti affirmat, D.Sam.Clericum ex αὐτογράφῳ in Academia Cantabrigiensi descripsisse Paraphrasten Chaldæum in libros παραλειπομένων, eumque Latinitate donavisse, ut publicam aliquando lucem aspiceret: sed cum ille nondum, quod sciamus, typis exscriptus sit, operæ utique pretium fecit Clarissimus *Beckius*, quod hanc interpretationem e tenebris, queis per aliquot secula delituit, primum protraxit. De autore hujus Targum ipse in libri I Chron. præfatione ad lectorem erudite disquirit, existimans eum aut e posteriorum paraphrastarum numero fuisse, & vel Tannai hoc est Talmudicum doctorem seu Gemaristam, qui seculo post Christum Natum tertio, quarto & quinto floruerunt; aut certe recentioris ævi Judæum. In præfatione libri hujus II negat, interpretationem hanc Jonathani deberi: mallet illam R.Joseph, qui juxta Fabrum, Clavis Talmudicæ *Halicoth Olam* p. 20, quarti seculi Gemarista fuit, adscribere: quanquam nihil in re incerta definit. Laudanda vero Beckii hæc industria, quam partim in versione, partim in notis adhibuit, in quibus LXX interpretum versionem Græcam sæpe correxit, Tremellii atque Junii Latinam interpretationem ut plurimum laudavit, Hebræorum commentarios non raro rejecit aut castigavit. Annotavit etiam, Paraphrasten hunc textum sacrum non κατὰ πόδα sequi, sed passim extravagari, plurimaque vel de suo assuere, vel ex antiquiori Cabbala accersita addere; id quod ex libri hujus II. c.III.1. XIII.2.XV.16. XXIII, 11. XXIIX.3. XXXII.21.31. XXXIII.12.13. inspectione adparet. Interim vel maxime notatu digna sunt loca, quæ c.VI.4.. & XXXII. 7. de Divi-

vinarum Personarum Trinitate leguntur. Cæterum nihil in hoc altero libro desideratur, nisi quod alicubi vocabula quædam, scribæ forsan negligentia fuerunt omissa. De quo, ut & codicis hujus MSti antiquitate *Autor* in dedicatoria Epistola libr. I. chron. disserit.

HISTOIRE DE L' HERESIE DE VICLEF, Jean Hus, & Jerome de Prague, avec celle des Guerres de Boheme, qui en ont este les suites.

sive

Historia Hæreseos VViclefi, Hussi, & Hieronymi Pragensis, ut & bellorum, quæ eam sunt secuta. Lugduni 1682. in 12. apud Joh. Certe.

SI autorem præfationis, quæ tractatui huic brevi, in duas tamen partes diviso, præmissa est, sequimur, excitari se passus est, Illustris quidam & eruditus scriptor, successu librorum historicorum, a Maymburgio editorum, ut Wiclefi & Hussi historiam componeret; causas tamen habuit, ob quas nomen suum dissimularet. Approbatus vero est liber *Regii Procuratoris Lugdunensis* censura, ad eundem quippe quo Maymburgiana scripta, scopum tendens, dum rebellionum & motuum causam confidenter Doctoribus istis attribuit, & licet violentam reductionem dissentientium a sedis Romanæ placitis improbet, & cum *Tertulliano* statuat, *non esse religionis, cogere religionem*, laudat tamen artes, quales contra Hussitas tempore concilii Basileensis adhibitæ sunt, ut potiores permissione *sacri calicis*, evectoque ad Archiepiscopatum Pragensem *Johanne Rokezano*, utcunque deliniti, in cæteris controversiis, Pontificum decreta sequerentur, refragantes autem ex plebe opprimerentur. Quos historicos secutus sit autor, obscurum non est ex iis, quæ adversus illos, quos pro hæreticis habet, compilavit. Mortem tamen Joh. Hussi ita describit, ut autor *Apologiæ adversus Maymburgii historiam Calvinismi* (de qua in tempore dicturi sumus,) *part. 1. c. 10.* sinceritatis encomium ei non potuerit denegare, Nec fraudat militaris fortitudinis insigni laude, celebrem illum Hussitarum ducem *Ziscam:* iniquior tamen *Georgio Podiebradio*, in cujus ad regnum Bohemicum evectione scribendi finem fecit.

Accidi

Accidit vero autori quod aliis, qui gentium & locorum, de quibus scribunt, non satis periti sunt, ut in nominibus facile errent: nisi Typographi culpa factum est, quod e.g. p. III pro Erfordia, *Oxfordia*, p. 113 & 114 pro Petro Dresdensi, *Bresde*, & alia ejusmodi legantur, & *Schlickius* trium Impp. primarius minister, atque Illustrissimæ familiæ conditor sub nomine *Seliqve* vix agnoscatur.

L' HISTOIRE VERITABLE DU CALVINISME ou Memoires historiques touchant la reformation, opposés a l' histoire du Calvinisme de Mr. Maymbourg.

id est,

Vera Calvinismi historia, sive memorialia historica, de reformatione, opposita Historiæ Calvinismi, Maymburgii.

Amstelodami 1683. in 12.

PRoduximus jam duos, qui *Maymburgii* historiam Calvinismi velitatione tamen potius quam acie aggressi sunt. Tertium nunc damus, qui in velitum ordinem referri se, & quæ scripsit breviter recenseri non invitus fortasse patietur: dum majoris operis autorem actis hisce nostris propediem inseremus, prolixius ibi quæ hic prætcrimus annotaturi. Distinctus est hic tractatus in libros breviusculos, sive capita XVI, variis historiis, non servata semper temporum serie, sed ut occasio materiæ tulit, referta, & digressionibus non paucis interstincta. Sic fidem Maymburgii infirmare; quos ille heroes miris laudibus extollit, sævitiæ & impietatis accusare; reformatorum vero Theologos, proceres, & plebem pietatis, doctrinæ, virtutum & Martyrii encomiis ornare autor nititur. Nomen quidem suum in titulo libri reticuit, effecit tamen narrando non pauca, de vita fortunaque sua, memorando etiam patruos suos Rocolios, ut id neminem latere possit. Ex dogmatibus nihil aut parum attingit: Totus est historicus aut paræneticus adeoque religionis, quam relicta Romana & abdicato, quo potiebatur, Canonicatu, secutus est, Zelator fervi-

dus. Utitur ut plurimum ad probanda quæ tradit, historia Ecclesiastica, superiori seculo a Reformatis in Gallia publicata, sæpe etiam *Thuano* & *Mezeryo*, quos ob sinceritatem & moderationem merito laudat. Lib. I & II Genevensem Reformationem, ejusque auctores recenset, interque eos *Franciscum Bonnivardum*, ex cujus epistola salubre monitum exscripsit, cives cohortantis, ut qui profugos urbe sacerdotes ob ambitionem & luxuriam odissent, eadem vitia in seipsis corrigerent, nec minus de morum, quam de doctrinæ emendatione soliciti essent, aut si postremum hoc nollent, & severiorem disciplinam aversarentur, ab omni novatione abstinerent. Lib. III & IV Calvini genus, studia & ministerium ab inculpationibus defendit. Lib. V idem præstat Maroto & Bezæ. Lib. VI & VII illustrium in Gallia Virorum fœminarumque pro reformata Religione aut contra eam studia & gesta, itemque martyria exponit; multa sane cum libertate, etiam cum de regibus sermo est. Lib. VIII & parte IX famosam illam *Cabrariensium & Merindoliensium* cladem, a Maymburgio extenuatam, pathetice ob oculos ponit, dein fautores quosdam reformationis ex sacro ordine describit. Lib. X & sequentibus pergit proceres utriusque partis, inde Guisios & Momorantios; hinc Condæos, Colinios, ipsosque Reges & Reginas laudibus mactare, aut vituperiis incessere; bella, prælia, carceres, supplicia, tractatus etiam & conventiones, atque edicta referre. Lib. XV de colloquio Posiaceno potissimum agit. Lib. XVI idemque ultimus in historia & elogio Guilielmi Auriaci occupatur. Dissimulare non possumus, tot mendis typographicis editionem libri, qua usi sumus, scatere, ut secundam curam omnino requirere videatur, si lectoribus tædium, & iis, qui minus periti sunt, errandi occasio demi debeat.

NIEU LIGT DER APOTEKERS &c. BENEFFENS eenige Outleed-Genees-en Heelkundige VVarnemingen &c. Door Antonius de Heide M. D.

id est,

Novum Lumen Pharmacopœorum, una cum quibusdam observationibus Anatomicis, Medicis, & Chirurgicis, Autore Antonio de Heide, D. M.

Amstelodami apud Hæredes Jansonianos 1682. in 8.

Qui

QUi Chirurgorum trivialium caliginem ac tenebras olim per Facem lucidissimam, seu tractatum, cujus inscriptio, *Nieu-light end Fackel der Heelkonst* discusserat Scriptor, idem vulgi quoque erroribus Pharmaceuticis mederi hoc opusculo alaboravit: evincendo, multorum medicamentorum usualium virtutes, hactenus suppositas, multum adhuc incertitudinis habere, pravisque operationibus ac præparationibus a Pharmacopoeis subjici. Prius ut præstet, equidem nonnullorum simplicium, v g. vitri antimonii, purgantium vegetabilium, opiique vires sufficienter innotescere, concedit: plurimorum tamen effectus incertos ostendit, quod per experientiam veram, qua alias rerum potentiæ explorantur, illi nondum comprobati sint. Scilicet dum adæquatæ experientiæ quatuor essentialia concipit requisita, 1 ut de morbi, cujus remedium aliquod simplex dicitur, natura constet, 2 ut illud frequentius ac utplurimum eundem in illo præstiterit effectum, 3 ut sine aliorum admistione fuerit propinatum, ac 4 ut ejus effectus *manifestus & sensibilis* satis existat; tentamina autem hæc cuncta sustinuerint aut sustineant paucissima usualium; multa, quorum virtus medicamentosa incerta, quotidie præscribi, ac *Pharmacopolia* plurimis inutilibus medicamentis obrui satis nervose colligit. Atque hæc sua argumenta variis circa specialiora, observationibus dilucidat, v.g. dum de usu Chinæ Chinæ in febribus tertianis egregio, de insulso cichorii contra calorem epatis abusu, de natura febrium, & quod harum formalitas non in calore consistat, de virtutibus opii multivariis, ejusque ac purgantium operandi ratione, de medicamentorum potentiis, ex colore aliisque eorum signaturis illatis disserit. Alterum, id est circa simplicium præparationes commissas ineptias, dum aggreditur, primo insignes illorum compositiones atque farragines culpat, utpote quæ nec palato serviant, nec asservationem medicaminum juvent eorumque corruptionem sufflaminent, nec robur illorum augeant, neque separationem partium activarum ab otiosis juvent; contra loco remedii damnum corpori adferant, v. g. in Mercurio sublimato, actionem medicamentorum incertam reddant, pharmacopæorum denique labores cumulent, ægrorumque crumenas emungant. Deinde in mixturis illis officinalibus congruitatē ac incongruitatem miscibiliū minime attendi, sæpe iis talia addi, quæ composi-

tionis activitatem vix augeant, v. g. aquis destillatis corallia & margaritas, ac deniq; minus necessariis, ineptis ac damnosis operationibus exponi demonstrat; usitatiora Officinarum composita, v. g. aquas, aceta, Sirupos, electuaria &c. examinando, declarat, occasione vero antidotorum, veneni & alexipharmacorum naturam, ac errores circa theriacam ac mithridatum perpetratos exponit.

Observationes annexæ varii objecti sunt, scilicet de materia calli ossa fracta conglutinantis, quam sanguinem extravasatum esse tradit: de transitu sanguinis ex arteriis ad venas, quem per vasorum anatomoses fieri per aliquot experimenta suspicatur: de sanguine diversorum animalium, Lacte, & Saliva, per Microscopium, & destillationem æque ac affusionem nonnullorum liquorum, lustratis, ubi inter alia curiosa globosam cruoris particularum figuram his non propriam & naturalem esse, sed a fluido forsan seroso & heterogeneo imprimi auguratur, differentiam vero inter serum & salivam notabilem ostendit. Porro ex vulnerum cerebri & meningum chirurgia, & circa hanc adornatis experimentis, porismata nonnulla, physiologica non minus, ac practica, depromit. Puris, Seri hydropicorum & Urinæ varie a se instituta examina recenset, simulque Uromantiæ falsitatem atque fallacitatem declarat: Anginæ causam non tam in laryngis musculorum inflammatione, quam Cartilaginum Arytænoidarum & Epiglottidis glandularum tumoribus concipit, huicque malo remedium euporiston vitriolum album commendat. Variorum liquorum per venas canum viventium injectorum, ac flatuum inspiratorum phænomena, item Nucis vomicæ, cani ac feli exhibitæ symptomata, nec non in illorum cadaveribus observata, refert. Colophonem denique opusculo per descriptionem uteri reliquorumque organorum
Tab. XIII. genitalium Ranæ fœmellæ imponit, *Tabulæ* XIII conferendam. In cujus *Fig.* 1. NKL ovarii dimidium, IHP Tubam dextram, *in situ* naturali & convolutam, ABCE dextram evolutam magisque extensam, & FENP uterum facie externa bipartitum sistit. *Literæ* AD *Fig.* 3, Tubarum istarum extremum unum, circa pulmones & in ventre libere fluctuans, ac pro excipiendis ovulis patulum exhibetur, ex latiore orificio AD in meatum angustiorem circa C *abiens*, mox denuo latescens: E vero alterum, quo in uterum *illæ hiant*. Utero superinster-

TAB: XIII. ad A: 1683. pag. 510.



sternitur intestinum rectum NO, reliquis intestinis, præprimis hyemali tempore latius, quod cum vesicæ urinariæ GO, pariter in duas quasi eminentias distinctæ meatu excretorio & uteri cervice in ductum communem RS abit. *Figura* vero 2 præter interioris tubarum superficiei areolos hexagonas, a vasis sanguineis circumscriptas, nihil declarat.

OBSERVATIO DN. LEUVVENHOECK DE PILIS,

Excerpta e Transactionibus Philosophicis Anglicanis Mensis Januarii, 168$\frac{1}{2}$ p. 93.

Qui exilium corporum partes, quarum subtilis textura oculorum aciem alias fugit, adhibito microscopio examinare solent, eorum aliqui pilos cavos esse, ac perinde ut ossa medullam continere arbitrantur. V. *Power* Microscop. observ. 50. *Hoock* micrograph. observ. 32. *Transact. Phil. Londin.* no. 102. Sed Dn. Leuwenhook, postquam accurato studio ac repetitis crebris observationibus in rei veritatem inquisivisset, datis ad Regiam Societatem Londinensem literis (d. 4 Nov. anni 1681 Delphio) sententiam illam disjecit, ac errorum fundamenta detexit. Ejus sunt quatuor istæ, quas exhibemus, figuræ, nempe 4, 5, 6, & 7, quibus intelligendis necesse est, ut paucis, quid ipse de pilis sentiat, referamus. Pilos igitur censet ita nasci, ut quod ante intra cutem delituerat materiæ glutinosæ, id postea extra illam quasi vi protrudatur, & cum initio molle sit ac lentum, beneficio aeris paulatim siccetur. Ubi porro observat, contingere nonnunquam, ut partibus exterioribus pilorum ex cute prodeuntium subito siccatis, reliquæ internæ corrugentur, & inde varias fissuras ac rimas relinquant, unde & cavitates quasi fiant, & lineæ nonnullæ obscuriores appareant, quas aliqui pro medulla falso acceperint. His præmissis, Figura quarta ABC exhibet setæ suillæ portionem oblique sectam, cujus fissuræ e partium arescentium contractione ortæ sunt EEEE. Figura quinta FGHI ejusdem pili portionem aliam repræsentat, in qua rima unica KLM conspicitur, quæ speciem cavitatis habet. *Hujusmodi pili observatio,* inquit Autor, *fortasse nonnullos decepit, ut crederent, veram cavitatem cujuscunque generis crinibus tribuendam esse.* In Figura sexta NOPQ pili pars conspicitur, quæ rimis omnino caret. *Id,* dicente Autore, *accidit, quia len-* *Tab. XIII.*

te

te ac paulatim pilus iste, quum nasceretur, aruit. Erat autem coloris cineracei, interspersis labeculis nigris a b c & aliis albicantibus. Septima denique figura sistit nigrum pilum porcinum, qui quod partes interiores seu filamenta maxime conspicua, & quodam ordine distincta haberet, inter alios excudi meruit. Omnes quatuor figuræ ad refellendum errorem communem serviunt, quo pilis generatim rotunditas tribuitur, quum tamen inter quatuor vix unus sit, qui ipsam obtineat.

GABRIELIS NAUDÆI BIBLIOGRAPHIA MILITARIS, in Germania primum edita, cura Georgii Schubarti. Jenæ 1683, in 12.

QUi de veterum disciplina militari ac arte commentarios reliquerunt, magis ingenii ac eruditionis gloriæ, quam posterorum utilitatibus consuluisse videntur; quod priscorum ritus, si ad eos conferantur qui nunc obtinent, plane diversos, parum emolumenti afferunt his, a quibus exactissime cognoscuntur. Solidæ igitur veræque commoditatis rationem habens GABRIEL NAUDÆUS potius existimavit, præcepta bellorum, omnibus locis & temporibus ac personis quæ conveniunt, complecti, & de recta eorum administratione commentari. Hinc profectum *Syntagma* ejus *de studio militari*, Romæ anno 1637 Ludovico Comiti a Balneo dicatum editumque, opus eruditione, labore, ac multiplici digressionis cura exasciatum. In cujus medio Lib. II pag. 504 & seqq. ubi modos scientiam militarem comparandi exponit, (quorum alter sit experientia, alter lectio historicorum) auctores de re militari omnes recenset, tum antiquos, sive deperditos, sive superstites; (sive typis excusos, sive quorum manuscripta in bibliothecis latent opera) tum recentiores: quorum quidam de militia in se tantummodo spectata scripserunt, quidam veterem ac novam militiam inter se contulerunt, quidam de hodierna ejusque partibus singulis commentati sunt. Integrum autem Naudæi Syntagma cum non ubivis extet, & rara ejus supersint exempla, isti eximendam hanc particulam censuit Clarissimus Vir *Georgius Schubartus*: cumque ipse auctor p. 36 *edit.* novæ, librorum militarium recensionem hanc *Bibliographiæ polemicæ* nomine insigniendam putaverit, sub hoc titulo, argumentis capiti cuivis præfixis, corpori præstantissimo avulsam hanc nobilissimam particulam edendam solitariam duxit; in hoc doctissimum Buchnerum imitatus, qui *Bibliographiam civilem* sive politicam Naudæi simili instituto olim emiserat typis nostris in publicum.